Inv 64
nr 101

FLORA PERUVIANA, ET CHILENSIS,

SIVE DESCRIPTIONES, ET ICONES

PLANTARUM PERUVIANARUM,

ET CHILENSIUM,

SECUNDUM SYSTEMA LINNAEANUM DIGESTAE,

CUM CHARACTERIBUS PLURIUM GENERUM

EVULGATORUM REFORMATIS.

AUCTORIBUS

HIPPOLYTO RUIZ, ET JOSEPHO PAVON,

REG. ACAD. MEDIC. MATRIT. SOCIIS.

Bory de St Vincent
de l'institut de France

TOMUS II.

SUPERIORUM PERMISSU.

TYPIS GABRIELIS DE SANCHA.

ANNO M. DCC. XCIX.

FLORA PERUVIANA, ET CHILENSIS,

SIVE DESCRIPTIONES, ET ICONES

PLANTARUM PERUVIANARUM,

ET CHILENSIUM,

SECUNDUM SYSTEMA LINNAEANUM DIGESTAE,

CUM CHARACTERIBUS PLURIUM GENERUM

EVULGATORUM REFORMATIS,

AUCTORIBUS

HIPPOLYTO RUIZ, ET JOSEPHO PAVON,

REG. ACAD. MEDIC. MATRIT. SOCIIS.

TOMUS II.

SUPERIORUM PERMISSU.

TYPIS GABRIELIS DE SANCHA.

ANNO M. DCC. XCIX.

PRAEFATIO.

In hoc altero Plantarum Specierum Peruvianarum et Chilensium Volumine duo nova Genera continentur unâ cum CCLVIII Generum sexdecim in Prodromo editorum, et novarum quoque notorum jam Generum Specierum descriptionibus ; quibus accedunt nonnullae, antehac quidem evulgatae, sed quas reformare, supplere et locis natalibus perficere opus fuit. Complectitur praeterea idem Volumen CXVI Tabulas cum CCIII Plantarum Iconibus accuratissimè ad vivum delineatarum, eâdem diligentiâ aeri incisas, singulis earum fructificationis partibus magnitudinis naturalis seorsim exhibitis. Nonnulla etiam exemplaria vivis coloribus adumbrata in curiosorum gratiam prostabunt, quemadmodum in primo Specierum Volumine faciendum curavimus.

Jam verò haud injucundum Lectoribus erit, uti speramus, non exiguum plurium Generum Specierum numerum in hoc Volumine evolvere, e. g. *Heliotropia*, *Tournefortias*, *Nolanas*, *Lisianthos*, *Varronias*, *Rauwolfias*, *Plumierias*, *Cestra*, *Solana*, *Lycia*, *Sarachas*, *Sesseas*, *Periphragmos*, *Psychotrias* vigintisex, *Coffeas* decem, *Portlandiam corymbiferam*, *Macrocnema* tria, *Cinchonas* denique octo à nobis, duasque à nostro Alumno Joanne Tafalla locis natalibus descriptas et delineatas.

Postremorum autem trium Generum descriptiones eò libentius tradimus, quò magis affinia sunt et reformatu digniora. *Cinchonarum* verò Species legitimas dignoscere invicem, Arti Medicae praesertim summopere intererat, nam ex confusione, qua Mercatores eas permiscendo et indiscriminatim venditando miserè in commercio abutuntur, incertae singularum virium efficacitatis observationes et perniciosi, aut saltem minus salutares effectus in morborum curationibus proficiscuntur. Idcirco pro virili sategimus, ut omnis confusionis et erroris occasio in tanti momenti negotio deinceps auferretur.

Sed cùm Lector benevolus in *Cinchonologia*, seu de Kinae Kinae Arboribus Tractatu, quem anno M.DCC.XCII nostrûm alter hispanicè evulgavit, eodemque anno italicum Romae fecit Josephus Antonius Monaldinus, facilè consulere possit *Cinchonae officinalis*, aliarumque congenerum Specierum historiam, electionem, commercium, vires, usus, analysim chemicam ; hîc loci solum adjiciemus descriptiones botanicas cum Observationibus et Iconibus Specierum, quas per *Andium* montes deteximus, in quibus à XII grad. merid. ad IV grad. septent. tantummodo pretiosum adeo specificum hactenus repertum est.

Ceterae autem Plantae in Jamaica, Martinica, Caribaeis insulis, et in Hispaniola provenientes, in *Cinchonae* Genus intrusae, atque adeo minimè ad illud pertinere videntur, siquidem Characteres, quos nobis in earum descriptionibus et iconibus Botanici exhibuerunt, admodum à nostris differunt et potius *Portlandiae* Generi quadrant.

Id evincunt *Cinchona caribaea* Jacq., *C. lineata*, *floribunda*, *brachycarpa*, *angustifolia*, *longiflora* et *spinosa*, quas memorat Clar. Vahl in *Opusculo de Cinchona*, *Londini anno M.DCC.XCVII edito* : Plantae, inquam, penitus diversae à *Cinchona officinali*, *pubescenti* et *macrocarpa* ab eodem etiam Vahl traditis, et ad *Cinchonae* Genus certissimè spectantibus, quarum prima et secunda in Peruvia, tertia in Sanctaefidensis Regno crescunt.

Cinchona quoque *corymbifera* Forster in memorato Opusculo descripta à Genere *Cinchonae* recedit, et *Portlandiae*, *Macrocnemi* aut aliûs Generis affinis Species censenda est ; minimè verò inter *Cinchonas* enumeranda, quemadmodum de illa, de *Caribaea* Jacquini, aliisque nonnullis plantis rectissimè asserit Clar. Mutis in Commentario de Cinchonis, in *Agriculturae et Artium Hebdomadar. num. 85.* Matriti evulgato anno M.DCC.XCVIII.

Neque *Cinchona philippica* D. Cavanilles cum nostris convenit : quin imo filamentorum

insertio, antherarumque figura, insertio et longitudo *Portlandiis* eam adciscunt : quod etiam comprobat seminum figura; enimvero ipse Clar. Botanicus Pericarpium speciminis sicci, quod observarat, immaturum fuisse profitetur.

Specierum autem *Cinchonae*, quae à Sanctaefidensis Regno tractibus septentrionalibus ad manus nostras pervenere, nulla omnino sive à Mercatoribus, sive à Medicinae Professoribus adeo efficax comperta est, ac illae quae in *Loxae*, *Cuchero*, *Casape*, *Casapillo*, *Cayumba*, *Sapan*, *Pillao*, *Pampamarca*, *Panao*, *Muña* aliisque Provinciarum *Panatahuarum*, *Huanuci*, *Huamalies*, *Tarmae* et *Xauxae* montibus veniunt: unde inferre licet, in montibus à linea aequinoctiali ad XII usque grad. meridiem versûs protensis *Cinchonae* Species praestantioribus viribus praeditas inter alias minus efficaces progigni, quàm ab eadem linea usque ad IV grad. septentrionem versûs à Cl. D. Med. D. Josepho Caelestino Mutis, et Josepho Sebastiano Lopez Ruizio detectae.

In quo quidem observare est, *Cinchonas rubram*, *luteam*, *aurantiam* et *albam* D. Mutis, et rursus *C. Tunitas*, *Azahar*, ceterasque D. Lopez pulchritudine et colorum intensitate, sapore amaro-acido grato, odore aromatico, densitate, pondere et fracturâ eâdem destitui, quibus antecellunt *Cinchona officinalis*, *nitida*, *hirsuta*, *lanceolata*, *micrantha*, *dichotoma*, et quae nuper *Rubicundae*, vulgo *Colorada* et *Calisaya* nomine innotuerunt, aliaeque à Huayaquil et Loxae montibus allatae.

Ceterum, quod ad *Cinchonae officinalis* historiam pertinet, quamquam *Cinchonologiae* Auctor ejus corticem Proregi Comiti de Chinchon ad debellandas uxoris febres primùm à Propraetore Loxensi missum fuisse narraverit; haud abs re erit hîc addere, hunc praetorem *Joannem Lopez de Cañizares* nomen habuisse, qui quidem antea in urbe Panamá Regis Quaestor fuerat.

Idem etiam Auctor ibidem retulit, *D. Franciscum Renquifum*, cùm à *Lamarum* Provincia regrederetur, Cinchonam nitidam anno M.DCC.LXXVI in collibus S. Christophori de Cuchero detexisse; quod inventum cum Huanuci Incolis communicavit: operae pretium tamen erit silentio non praeterire, *D. Emmanuelem Alcarraz* in Montes primum penetrasse, inde illius Cinchonae cortices Limam deportasse et commercium denique in *Panatahuarum* et *Huanuci* Provinciis iniisse: quod ita evulgandum duximus, ne illa omissio *D. Alcarraz* fraudi unquam sit, nam etsi *Renquifum* laude dignum ob inventum judicamus, non minus commendandus est *Alcarraz*, utpote commercii supradictis Provinciis et hominum generi adeo proficui promotor.

CLASSIS V.

PENTANDRIA MONOGYNIA.

QUINCHAMALIUM. Molina *Hist. Natur. Regn. Chil. pag.* 159. Jussieu *Gen. plant. p.* 75. Lamarck *Illustrat. botanic. pag.*125. *t.* 142. *Quinchamali.* Fewill. *Per. Obs. t.* 3. *pag.* 57. *planch.* 44.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* globosum, quadridentatum : *denticulo infero* majori, *tribus superis* minimis: inferum, persistens.

Cor. infera, infundibuliformis. *Tubus* tenuis, quinqueangulatus, parum curvatus, calyce quadruplo longior, basi globosâ, ultra coarctatus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* linearibus, aequalibus.

Stam. *Filamenta* quinque, brevia, filiformia, basi laciniarum corollae inserta. *Antherae* lineares, erectae, biloculares, laciniis dimidiò breviores.

Pist. *Germen* globosum. *Stylus* filiformis, longitudine Staminum. *Stigma* capitatum, truncatum.

Peric. monospermum, globosum, è basi corollae, et calyce carnoso accretum.

Sem. globosum.

Obs. 1. Raro exemplo: *Stamina* ad basim laciniarum corollae inserta; *Limbus corollae* quinquepartitus, et *Calyx* quadridentatus, inaequalis.

Obs. 2. Lamarck calycem quinquedentatum et corollam superam minus rectè descripsit.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Pericarpium monospermum, è basi corollae et calyce carnoso accretum. *Calyx* inaequalis, quadridentatus. *Corollae limbus* quinquepartitus. *Stamina* basi laciniarum corollae inserta.

QUINCHAMALIUM procumbens. Ic. CVII. *Fig. b.*

1. Q. foliis linearibus sparsis, floribus terminalibus capitatis sessilibus.

Quinchamalium (*chilense*). Molin. *Hist. natur. Regn. Chilens. hisp. vers. pag.* 159.

Quinchamali Lini folio. Fewill. *Per. Observ. pag.* 57. *planch.* 44.

Planta herbacea, glabra, annua.

Radix fusiformis, tenuis, perpendicularis, infernè fibrillosa.

Caules plurimi, simplicissimi, subpedales, inaequales, procumbentes, parum assurgentes, filiformes, infernè attenuati, striati.

Folia sparsa, sessilia, linearia, angustissima, integerrima, ad basim puncto purpureo notata.

Flores terminales, in capitulum ovatum collecti, sessiles.

Corolla extus purpureo-rubra, intus lutea.

Pericarpium rubicundum.

Habitat in *Peruviae* collibus arenosis ad *Huarocheri*, *Cantae*, *Tarmae* et *Conceptionis Chile* Provincias.

Floret Majo, Junio et Julio.

Vernacule Chinchimali et *Quinchamali.*

Usus : Ad pleuritidem et ulcera sananda confert.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem antice visus. 3 Calyx magnitudine naturali. 4 Idem auctus. 5 Corolla scissa stamina ostendens. 6 Pistillum. 7 Pericarpium. 8 Semen.

MIRABILIS. Linn. *Gen. plantar. pag.* 114.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* campanulatum, quinquefidum : *laciniis* ovato-lanceolatis : inferum, persistens.

Cor. infundifuliformis. *Tubus* longissimus, curvatus, 5-angulatus, ultra basim coarctatus, supernè ampliatus, basi globosâ, rudi, crassâ, striatâ. *Limbus* erecto-patens, plicatus, quinquelobus; *lobis* emarginatis.

Nectarium parvum, cyathiforme, membranaceum, germen ambiens, marcescens.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, corollâ longiora, aequalia, declinata, ori nectarii insidentia, infernè tenuissima, libera, in coarctatione agglutinata, parum decurrentia, deinde libera. *Antherae* subrotundae, didymae, incumbentes, assurgentes.

Pist. *Germen* subrotundum, intra basim corollae nectario cinctum. *Stylus* filiformis, situ et longitudine staminum. *Stigma* globosum, multifidum : laciniis subdichotomis, glandulaeformibus.

Per. nullum. *Calyx* semen continens.

Sem. *Nux* è basi corollae formata, oblonga, angulata, striata, tuberculata, coronata margine minimo : *Nucleus* oblongus.

MIRABILIS jalapa.

1. M. floribus terminalibus congestis erectis, foliis cordatis ovatisque acuminatis, caule laevi.

Mirabilis (*jalapa*) floribus congestis terminalibus erectis. Linn. *Sp. pl. t.* 1. *p.* 490.

Planta herbacea, bipedalis, perennis.

Radix tuberosa, oblongo-fusiformis, fusca, intus alba.

Caulis erectus, infernè teres, supernè obsoletè tetragonus, geniculatus, geniculis saepe purpureis, subdichotomus, fragilis, laevis, glaber, nitidiusculus.

Rami patuli, supernè dichotomi : *teneri* pubescentes.

Folia opposita, petiolata : *inferiora* obliquè cordata: *supe-*

riora ovata, integerrima, venosa, margine subundulata, leviter pubescentia.
Petioli basi parum incurvi, supra plani.
Flores terminales, congesti, subseni, breviter pedicellati.
Calyx corollâ sextuplò brevior, campanulatus, angulatus, quinquefidus: *laciniis* ovato-lanceolatis, acutis.
Corolla rubra vel purpurea, aut lutea, sive alba.
Stamina corollae colore.
Nux oblonga, rugosa, decagona; angulis alternis prominulis, nigra.
Habitat in cultis et versuris *Huanuci, Limae* et *Chancay*.
Floret toto anno.
Vulgo Trompetillas et *Flor de Panamá*; in Hispania verò *Don Diegos* appellatur.

PLUMBAGO. Linn. *Gen. pl. pag.* 114.

PLUMBAGO europaea.

1. P. foliis amplexicaulibus lanceolatis scabris. Linn. *Sp. pl. pag. 429.*

Habitat in *Huanuci, Tarmae, Huarocherí* et *Caxatambo* provinciis ad sepes et petrosa loca.
Floret Majo, Junio et Julio.
Vernacule: In *Cheuchin*, ubi pro veneno reputatur, *Rata-rata* nuncupant; in Hispania *Velesa* appellatur.
Obs. Plantae inter papyros asservatae, eas colore purpureo tingunt.

HELIOTROPIUM. Linn. *Gen. pl. pag.* 99.

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* tubulosum, quinquedentatum: *denticulis* acutis; inferum, persistens.
Cor. hypocrateriformis. *Tubus* cylindricus, calyce longior. *Limbus* planus, subplicatus, quinquefidus: *laciniis* subrotundo-ovatis, obtusis. *Faux* quinqueplicata, clausa.
Stam. *Filamenta* quinque, brevissima, subulata, tubo infra faucem inserta. *Antherae* ovatae, inclusae.
Pist. *Germina* quatuor. *Stylus* cylindricus, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, acutum, emarginatum.
Per. *Calyx* erectus, ventricosus, semina fovens.
Sem. quatuor, ovata, extus convexa.

HELIOTROPIUM peruvianum.

1. H. foliis lanceolato-ovatis, caule fruticoso, spicis numerosis aggregato-corymbosis. Linn. *Sp. pl. t. 1. p. 380.*

Habitat copiosè in *Peruvia* ad *Cercado, Chancay, Cantae* et *Huanuci* Provincias.
Floret per totum ferè annum.
Vulgo Vaynilla ob odorem Vanillae accedentem.

HELIOTROPIUM corymbosum. Icon. CVII. *Fig. a.*

2. H. foliis oblongo-lanceolatis, caule fruticoso, spicis terminalibus aggregato-corymbosis, laciniis calycinis longis subulatis.
Planta fruticosa, ferè triulnaris.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami erecto-patentes, teretes: *teneri* pubescentes.
Folia alterna, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, integerrima, subundulata, venosissima, rugosa, subtus hirsuta, albicantia, supra pubescentia, deflexa, ferè exsucca.
Corymbi terminales, plurimis spicis recurvis, dichotomis compositi.
Flores secundi, gemino ordine alternantes, sessiles.
Calyx tubulosus, quinquefidus, in fructu ovatus, ventricosus.
Corollae *Tubus* albus, calyce duplò longior. *Faux* viridiuscula, plicaturis quinque clausa, nuda. *Limbus* purpureo-violaceus, quinquefidus: *laciniis* subrotundis, obtusissimis.
Semina oblonga, extus convexiuscula, intus ferè concava.
Habitat affatim in *Peruvia* per Provincias *Limae, Chancay, Cantae, Huarocherí, Icae, Camanae.*
Floret ferè toto anno et praesertim Junio, Julio et Augusto mensibus.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum. 4 Calyx cum seminibus. 5 Semina.

HELIOTROPIUM oppositifolium. Ic. CVIII. *Fig. b.*

3. H. foliis ovatis acutis latis integerrimis, caule fruticoso, spicis dichotomo-corymbosis.
Planta fruticosa, orgyalis, densè hispido-pubescens.
Caulis teres, fuscus, ramosus.
Rami brachiati: *teneri* secundum articulationes compressi, sulcati, tomentosi, obscurè ferruginei.
Folia opposita, rariùs verticillato-terna, ovata, lata, acuta, rugosa, integerrima, petiolata, subtus venosissima, supra retrorsum aspera.
Spicae terminales, 6-9, subdichotomae, ferè corymbosae, valde recurvae, pollicares.
Flores secundi, sessiles.
Calyx minimus.
Corolla alba, in emarcidatione atra, calyce triplò longior, extus hispidiuscula.
Habitat in *Muña* aridis, versùs *Cormilla* tractum.
Floret Septembri, et Octobri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum.

HELIOTROPIUM incanum. Icon. CVIII. *Fig. a.*

4. H. foliis ovatis acutis crenatis lineatis rugosissimis, caule fruticoso, spicis dichotomo-corymbosis.
Planta fruticosa, incana, densè villosa.
Caulis tripedalis, erectus, teres, pilosus, infernè glaber, ramosus.
Rami teretes, erecto-patentes.
Folia sparsa, subsessilia, ovata, acuta, crenata, supra rugosissima, lineata, retrorsum scabra, subtus magis incana.

Spicae terminales, plurimae, dichotomae, in corymbum digestae, ferè pollicares.
Flores secundi, gemino ordine alternantes, sessiles.
Corolla alba, calyce duplò longior, extus hispidiuscula.
Calyx in fructu ventricosus.
Semina quatuor, ovata, extus rugosa.
Habitat in collibus aridis *Huanuci*.
Floret Martio, et Aprili.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Calyx cum seminibus. 6 Semina.

HELIOTROPIUM microcalyx. Icon. CIX. *Fig. b.*

5. H. foliis oblongo-lanceolatis, caule suffruticoso, spicis oppositifoliis dichotomis, calycibus minimis quinquedentatis.

Planta suffruticosa, leviter pubescens.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami angulati, erecti, divisi.
Folia alterna, nonnulla opposita, petiolata, oblongo-lanceolata, subacuminata, parum rugosa, venosissima, integerrima.
Pedunculi oppositifolii, dichotomi.
Spicae foliis paulò longiores, in flore reflexae, in fructu erectae.
Flores secundi, sessiles.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla albicans, calyce triplo longior.
Habitat in *Peruviae* collibus per *Huanuci* Provinciam.
Floret Majo, et Junio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum.

HELIOTROPIUM synzystachyum. Ic. CIX. *Fig. a.*

6. H. foliis ovatis oppositis; intermediis alternis, spicis solitariis longissimis geminis brevibus, fructu bipartibili.

Planta villosa, herbacea, sesquipedalis, annua.
Radix ramosa, fibrillosa, albidiuscula.
Caulis procumbens, infernè divisus, angulatus.
Rami consimiles, anguloso-sulcati, supernè divisi.
Folia *inferiora* et *superiora* opposita; *intermedia* alterna; *omnia* petiolata, ovata, oblonga sublanceolataque, integerrima, venosissima, lineato-plicata, rugosa.
Spicae laterales terminalesque, solitariae et geminae: *solitariae* bi-tripalmares, apice recurvatae: *geminae* 1-2pollicares, magis recurvae, alterâ paulo longiori.
Flores gemino ordine alternantes, secundi, sessiles.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* linearibus, acutis, in flore erectis, in fructu patentibus; inferus, persistens.
Corolla infundibuliformis. *Tubus* longitudine calycis, basi dilatatus. *Limbus* quinquefidus, plicatus: *laciniis* subrotundis, patentibus. *Faux* aperta, villosa.
Filamenta quinque, brevissima, medio tubi inserta. *Antherae* lineares, acutae, erectae, biloculares, inclusae.
Germen tetragonum. *Stylus* brevissimus, conicus, cum corolla decidens. *Stigma* obtusum.
Bacca obsoletè tetragona, umbilicata, quadridentata, bipartibilis.
Semina duo, ossea, bilocularia, intra utramque baccae partem.
Habitat in segetibus et campis aridis *Limae* et *Chancay*.
Floret per totum annum.
Obs. Pericarpium *Messerschmidiae fruticosae* Linn. simile, cristatum, bipartibile, loculis 2-3-4spermis. Corollae tubus clavatus, longissimus, calyce sextuplò longior: laciniis acutissimis.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Semina coalita. 6 Semina sejuncta.

HELIOTROPIUM pilosum. Icon. CX. *Fig. a.*

7. H. foliis lanceolatis integerrimis, caule fruticoso procumbente, spicis terminalibus lateralibusque 2-3-4nis.

Planta suffruticosa, densè pilosa, canescens.
Caules plurimi, subpedales, teretes, ramosi, procumbentes.
Rami consimiles.
Folia sparsa, petiolata, lanceolata, oblongo-lanceolataque, acuta, integerrima, obsoletè venosa.
Spicae laterales terminalesque, binae, ternae, quaternae, subpollicares, apice revolutae.
Flores gemino ordine alternantes, secundi.
Corolla alba.
Calyces in fructu patentiusculi.
Semina quatuor, subrotundo-ovata, nitida, hispidula.
Habitat in collibus aridis *Limae* ad *Amancaes* tractus.
Floret Majo, Junio et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Calyx cum seminibus. 7 Semina integra. 8 Semen transversim sectum, biloculare. 9 Idem uniloculare.

HELIOTROPIUM microstachyum. Icon. CX. *Fig. b.*

8. H. foliis oblongis alternis, caule herbaceo, spicis aggregatis brevibus, fructu bipartibili.

Planta herbacea, procumbens, pubescens.
Radix fusiformis, fibrillosa.
Caules plurimi, pedales, angulati.
Rami consimiles, divisi.
Folia alterna, nonnulla inferiora et superiora opposita, oblonga, integerrima, rugosa, venosa, petiolata.
Pedunculi laterales terminalesque, polystachyi.
Spicae aggregatae, breves, parum reflexae.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subulatis, erectis.
Flores secundi, gemino ordine alternantes.
Corolla parva, albicans.
Antherae subsessiles, medio tubi affixae, ovatae, acutae.
Semina duo, ovata, parum compressa, bilocularia, nonnulla unilocularia.
Habitat in aridis *Tarmae* et *Cheuchin*.
Floret Januario, et Februario.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Calyx cum seminibus. 7 Semina. 8 Semen transversim sectum.

HELIOTROPIUM LANCEOLATUM. Ic. CXI. *Fig. a.*

9. H. foliis lanceolatis, caule fruticoso, spicis terminalibus dichotomo-corymbosis.

PLANTA fruticosa, hispidula.

CAULIS erectus, ramosus, teres.

RAMI angulati, in corymbum ferè digesti.

FOLIA alterna, nonnulla opposita, breviter petiolata, lanceolata, integerrima, venosissima, rugosa, sublineata, aspera.

PEDUNCULI terminales, longi, tenues, dichotomo-corymbosi.

SPICAE pollicares, in flore revolutae, in fructu erectae.

FLORES secundi, gemino ordine alternantes.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* subulatis, erectis, corollâ duplo brevioribus.

COROLLA dilutè caerulea.

SEMINA quatuor, unilocularia.

HABITAT in nemoribus *Pillao* et *Huanuci.*

FLORET Majo, Junio et Julio.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum.

HELIOTROPIUM CURASSAVICUM.

10. H. foliis lineari-lanceolatis carnosis aveniis glaucis, caule procumbente, spicis solitariis et conjugatis.

HELIOTROPIUM (curassavicum). LINN. *sp. pl. p. 382.*

HELIOTROPIUM (indicum) procumbens glaucophyllon, floribus albis. PLUKEN. *Almag. tab. 36. fig. 3.*

HELIOTROPIUM maritimum minus folio glauco, flore albo. SLOAN. *Hist. 1. p. 213. t. 132. f. 12.*

PLANTA herbacea, glabra, carnosa, glauca.

CAULES plurimi, procumbentes, subteretes, ramosissimi.

RAMI consimiles.

FOLIA sparsa, sessilia, lineari-lanceolata, supernè latiora, integerrima, avenia, obtusa.

SPICAE terminales lateralesque, conjugatae, aliquando ternae, quaternae et solitariae, apice revolutae, 1-2-3pollicares.

FLORES secundi, sessiles, gemino ordine alternantes.

CALYX in fructu patens: in flore erectus.

COROLLA alba, calyce paulo longior.

SEMINA quatuor, ovata, obsolete angulata, unilocularia.

HABITAT in maritimis *Limae*, *Lurin* et *Chancay* locis.

FLORET toto anno, et praesertim Januario, et Februario.

LITHOSPERMUM. LINN. *Gen. pl. pag. 99.*

LITHOSPERMUM AGGREGATUM.

1. L. foliis ovatis obtusis rugosis, caule prostrato, floribus aggregatis.

PLANTA herbacea, pubescens, annua.

RADIX fusiformis, tenuis, fibrillosa.

CAULIS prostratus, teres, ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA opposita, conferta, breviter petiolata, ovata, obtusa, rugosa, integerrima, sursum spectantia.

FLORES aggregati, subsessiles, secundi, minimi.

COROLLA alba, quinquefida: *laciniis* aequalibus.

SEMINA duo, ovata, laevia, hinc plana, inde convexa.

HABITAT in collibus aridis *Tarmae* et *Huanuci.*

FLORET Decembri, et Januario.

LITHOSPERMUM MURICATUM.

2. L. seminibus muricatis, corollis calycis longitudine, floribus lateralibus rameisque, foliis lanceolato-linearibus.

PLANTA herbacea, pubescens, annua.

CAULES plurimi, semipedales, prostrati, teretes.

FOLIA lanceolato-linearia oblongaque, integerrima, utrinque saepius obtusa: *inferiora* opposita, *superiora* alterna.

FLORES laterales rameique, sessiles.

CALYCES in fructu expansi.

COROLLA alba, longitudine calycis. *Faux* patens.

SEMINA muricata.

HABITAT in ruderatis et parietibus *Conceptionis Chile.*

FLORET Octobri, et Novembri.

LITHOSPERMUM TINCTORIUM. ICON. CXIV. *Fig. b.*

3. L. seminibus rugosis, corollis calycem superantibus, foliis lineari-lanceolatis, floribus lateralibus solitariis.

PLANTA herbacea, pilosa, hinc inde purpurea.

RADIX tenuis, fusiformis.

CAULES plurimi, palmares, procumbentes, teretes, filiformes: *intermedius* erectus, divisus.

FOLIA alterna, lineari-lanceolata, integerrima.

FLORES laterales, solitarii, breviter pedicellati.

CALYX in flore erectus, in fructu clausus.

COROLLA alba, calycem superans.

SEMINA rugosa.

HABITAT in arenosis *Conceptionis Chile* et *Sancti Jacobi.*

FLORET Octobri, et Novembri.

Obs. Planta inter papyros asservata, violaceo colore eas inficit.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Semina in calyce. 7 Semen.

LITHOSPERMUM INCANUM.

4. L. foliis cuneiformibus, floribus axillaribus solitariis, seminibus nitidis.

PLANTA herbacea, incana, annua.

RADIX fusiformis, fibrillosa.

CAULES plurimi, prostrati, teretes.

FOLIA sparsa, sessilia, cuneiformia, acuminata, integerrima.

FLORES axillares, solitarii, sessiles.

COROLLA alba. *Faux* pervia.

SEMINA quatuor, ovata, acuminata, nitida.
HABITAT in *Peruviae* collibus aridis versus *Tarmae* oppidum.
FLORET Januario, et Februario.

LITHOSPERMUM HISPIDUM.

5. L. seminibus rugosis, foliis lanceolatis sessilibus, spicis apice revolutis.
PLANTA herbacea, hispida, albicans, annua.
RADIX fusiformis, fibrillosa.
CAULES plurimi, pedales, assurgentes, subangulati: *intermedius* erectus.
FOLIA sparsa, sessilia, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, granulis albis utrinque adspersa.
SPICAE longae, apice revolutae.
FLORES secundi, subsessiles, in fructu pedicellati.
CALYX quinquepartitus.
COROLLA infundibuliformis, lutea. *Tubus* longitudine calycis. *Faux* pervia, nuda. *Limbus* 5partitus.
STYLUS filiformis, longitudine tubi. *Stigma* capitatum, emarginatum.
SEMINA quatuor, ovata, acuta, rugosa.
HABITAT in *Peruviae* saxosis versus *Cheuchin* Provinciae *Caxatambo* vicum.
FLORET Aprili, et Majo.

LITHOSPERMUM DICHOTOMUM. ICON. CXI. *Fig. c.*

6. L. seminibus laevibus, caule prostrato, foliis oblongo-obovatis lineatis rugosis, floribus congestis.
PLANTA suffruticosa, hispidula, incana.
RADIX ramosa, extus atra.
CAULIS prostratus, dichotomus, geniculatus, fragilis, lignosiusculus, teres.
FOLIA congesta, inaequalia, petiolata, oblongo-obovata, lineata, ferè plicata, rugosa, marginibus reflexis, valde aspera, exsucca.
FLORES congesti, sessiles, totidem foliolis minimis distincti.
CALYX quinquepartitus: *laciniis* lanceolatis, acutis, aequalibus: inferus, persistens.
COROLLA violacea, infundibuliformis. *Tubus* sensim ampliatus, calyce paulò longior. *Faux* pervia, nuda. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis emarginatis.
FILAMENTA quinque, filiformia, longitudine corollae, fauci inserta. *Antherae* oblongae, biloculares.
GERMINA quatuor. *Stylus* filiformis, staminibus longior. *Stigmata* duo, simplicia.
SEMINA quatuor, ovata, exterius convexa, interius concava, glabra, colore cinereo-fusco variegata.
Obs. Semina saepius tria tantùm adolescunt.
HABITAT in *Peruviae* arenosis, versus *Lurin*, prope castrum *Pachacamac*.
FLORET Januario, et Februario.
VERNACULE Tiquil-tiquil.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4. Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Semina.

MYOSOTIS. LINN. *Gen. pl. pag.* 99.

MYOSOTIS GRANULOSA.

1. M. seminibus granulosis, foliis linearibus hispidis punctis albicantibus, floribus secundis.
PLANTA herbacea, hispida, punctis albicantibus, è quibus setae prodeunt.
RADIX fusiformis, fibrillosa.
CAULIS erectus, bipalmaris, supernè parum ramosus, teres.
RAMI alterni ferè in corymbum.
FOLIA alterna, sessilia, linearia, obtusa, integerrima.
FLORES in spicam apice revolutam, secundi.
CALYCES hirsutissimi.
COROLLA alba, calyce duplò longior.
SEMINA quatuor, ovata, granulosa.
HABITAT in arenosis *Limae* et *Chancay*.
FLORET Julio, et Augusto.

MYOSOTIS CORYMBOSA.

2. M. seminibus laevibus, foliis linearibus acutis, caulibus divaricatis, floribus corymbosis.
PLANTA herbacea, leviter hispida, annua.
RADIX fasciculata, capillaris.
CAULES nonnulli procumbentes, 2-3palmares, divaricati, teretes: *intermedius* erectus.
RAMI supernè furcati.
FOLIA sparsa, sessilia, linearia, acuta, integerrima, angusta.
FLORES terminales in corymbum saepè furcatum, tandem spicati.
COROLLA calyce triplò major, alba, fauce clausa.
SEMINA quatuor, laevia.
HABITAT in campis *Conceptionis Chile*.
FLORET Majo, Junio et Julio.

MYOSOTIS HUMILIS.

3. M. seminibus rugosis, foliis linearibus, caulibus brevibus, floribus lateralibus secundis.
PLANTA herbacea, hispida, annua.
RADIX fusiformis, fibrillosa.
CAULES plurimi, palmares, procumbentes: *intermedius* erectus.
FOLIA sparsa, sessilia, linearia, integerrima.
FLORES laterales, secundi, sessiles, in fructu breviter pedunculati.
COROLLA alba, fauce clausa.
SEMINA quatuor, rugosa.
HABITAT in *Peruviae* campis versus *Pillao* vicum.
FLORET Junio, Julio et Augusto.

MYOSOTIS GRACILIS.

4. M. seminibus echinatis glochidibus, foliis linearibus,

caulibus gracilibus, floribus lateralibus laxè spicatis secundis.
PLANTA herbacea, hispidiuscula, annua.
RADIX fibrosa, capillaris.
CAULES nonnulli, procumbentes, filiformes, graciles, parum divisi.
FOLIA alterna, sessilia, linearia, integerrima.
FLORES laterales, secundi in spicam laxam.
COROLLA alba, fauce clausa.
STIGMA simplex, obtusum.
SEMINA quatuor, echinata, echinis glochidatis.
HABITAT in *Conceptionis Chile* campis et collibus.
FLORET Aprili, et Majo.

CYNOGLOSSUM. LINN. *Gen. pl. pag.* 100.

CYNOGLOSSUM DECURRENS.

1. C. foliis lanceolatis decurrentibus venosis, caule anguloso alato.
PLANTA herbacea, hispida, aspera, annua.
CAULIS erectus, angulatus, subalatus, ramosus.
RAMI alterni, consimiles.
FOLIA alterna, decurrentia, lanceolata, acuta, integerrima, nervosa.
PEDUNCULI axillares, laterales terminalesque, racemoso-spicati, longi.
FLORES secundi, breviter pedicellati, distantes.
COROLLA albo-caerulea, subcampanulata.
SEMINA echinata, aristis glochidatis.
HABITAT in nemoribus *Conceptionis Chile* ad *Gavilan* paludem et *Palomares* tractus.
FLORET Augusto, et Septembri.

CYNOGLOSSUM PILOSUM. ICON. CXI. *Fig. b.*

2. C. foliis linearibus, floribus solitariis foliis alternantibus.
PLANTA bipalmaris, pilosa, incana, annua.
RADIX fibrosa, tenuis, albida.
CAULIS erectus, teres, divisus, filiformis.
FOLIA alterna, sessilia, linearia, integerrima.
PEDUNCULI foliis alternantes, solitarii, brevissimi, uniflori.
CALYX patentissimus: *laciniis* acutis.
FRUCTUS cristatus, uncinatus.
HABITAT in *Cercado* et *Chancay* Provinciis locis aridis, versùs *Limae* et *Arnedo* tractus.
FLORET Octobri, et Novembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum. 6 Semina.

CYNOGLOSSUM REVOLUTUM.

3. C. staminibus corollâ brevioribus, corollis calyce duplò longioribus, foliis lanceolatis; caulinis sessilibus.
PLANTA herbacea, hispida, tripedalis, annua.
RADIX fibrosa, pallescens.
CAULIS erectus, ramosus, angulatus.
RAMI alterni, consimiles.
FOLIA *radicalia* longè petiolata, lanceolata, acuta, integerrima; *caulina* alterna, sessilia, consimilia.
PEDUNCULI laterales, uniflori, cernui, in racemum subspicatum, apice revolutum.
COROLLA albo-caerulea. *Faux* squamulis quinque clausa.
SEMINA quatuor, echinato-hamosa.
HABITAT passim in *Huassahuassi* umbrosis.
FLORET Decembri, et Januario mensibus.

CYNOGLOSSUM PAUCIFLORUM.

4. C. foliis lanceolatis infernè angustatis, pedunculis subseptemfloris.
PLANTA herbacea, densè hispida, canescens, annua.
CAULIS erectus, teres, infernè divisus.
FOLIA lanceolata, infernè angustata, integerrima: *inferiora* sparsa; *superiora* alterna, remota.
PEDUNCULI axillares, solitarii, longitudine ferè foliorum, subseptemflori.
FLORES breviter pedicellati.
COROLLA calyce duplò longior.
HABITAT in *Conceptionis Chile* campis et arvis.
FLORET Octobri, et Novembri mensibus.

CYNOGLOSSUM LINEARE.

5. C. canescens, foliis linearibus, floribus solitariis oppositifoliis, seminibus dentatis.
PLANTA herbacea, subpalmaris, incana, annua.
RADIX fibrosa, albidiuscula.
CAULIS filiformis, parum divisus, teres.
FOLIA linearia, sessilia, integerrima.
PEDUNCULI solitarii, oppositifolii, breves, uniflori, in flore erecti, in fructu reflexi.
COROLLA alba.
HABITAT in *Sancti Jacobi Chilensis* campis aridis.
FLORET Septembri, et Octobri.

NOLANA. LINN. *Gen. pl. pag.* 104.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Perianthium* quinqueangulare, quinquefidum: *laciniis* cordato-ovatis; inferum, persistens.
COR. campanulata, calyce duplò major. *Tubus* quinqueangularis, striatus, brevis, intus hirsutus. *Limbus* patens, subquinquelobus, plicatus.
STAM. *Filamenta* quinque, subulata, tubo infra faucem inserta, corollâ breviora, parum declinata, basi hirsuta. *Antherae* erectae, sagittatae, subtetragonae, compressiusculae.
PIST. *Germina* quinque, connata. *Stylus* unicus, cylindricus, longitudine ferè staminum. *Stigma* capitatum, obsolete pentagonum.
PERIC. pentaspermum: *Calyx* in sinu semina fovens.
SEM. quinque, receptaculo carnoso coalita, epidermide succulentâ vestita, oblongo-subtrigona, latere interiori quadripunctata, exsucca, quadrilocularia.

Obs. Seminum *Loculamenta* 1-2-3ve saepe abortiunt. Unum alterumve *Semen* 5loculare invenitur. In quibusdam floribus *Germina* sex; in nonnullis 1-2ve abortiunt. In *Nolana coronata*: *Calyx* 5angulatus, profunde 5fidus, in fructu ferè bipartitus; *laciniis* subcordatis acutis: *Faux* corollae pulchre villis coronata. In *Nol. bipartita*: *Calyx* 5gonus, 5fidus, in fructu bipartitus; *laciniis* obovato-spathulatis: *Antherae* quadrisulcae: *Stylus* infernè quinque-angularis: *Stigma* capitato-pentagonum: *Semina* triangulari-cordata. In *Nol. ventricosa et conferta*: *Calyx* ventricosus, 5fidus; *laciniis* ovatis, acutis.

NOLANA PROSTRATA.

1. N. caule prostrato, foliis ovato-oblongis, calycibus pyramidalibus; *laciniis* triangulari-sagittatis.

Nolana (*prostrata*). Linn. *Sp. pl. tom. 1. p.* 407.

Planta succosa, sesquipedalis, annua.

Radix ramosa, fibrosa.

Caulis prostratus, ramosissimus, angulatus, nitidiusculus, leviter villossus, flexuosus, purpurascens.

Rami assurgentes, consimiles.

Folia alternatim gemina, altero minori, petiolata, ovato-oblonga, utrinque attenuata, integerrima, carnosa, glabra, subundulata.

Petioli foliis duplò breviores, subcompressi, supra plani, subtus convexiusculi, villoso-ciliati.

Pedunculi interfoliacei, solitarii, uniflori, erecti, teretes, foliis breviores, glabri.

Calyces pyramidales, acute pentagoni, quinquefidi: *laciniis* triangulari-sagittatis, erectis.

Corolla caerulea, calyce duplò longior. *Faux* striis purpureo-violaceis.

Stamina violacea, basi hirsuta. *Antherae* caeruleae, sagittatae.

Semina ovata, nigra, extus convexa, intus punctis quatuor notata.

Habitat in *Peruviae* locis maritimis arenosis, passim ad *Cercado* et *Chancay* Provincias.

Floret Junio, Julio et Augusto.

Vernacule Chaves dicitur.

Usus: Cibus gallinis jucundus.

NOLANA CORONATA. Icon. CXII. *Fig. b.*

2. N. caule prostrato, foliis subdeltoideis ovatisque, calycis laciniis subcordatis, fauce corollae villosissimâ.

Planta herbacea, succosa, annua.

Radix fusiformis, fibrillosa.

Caulis prostratus, ramosissimus, teres, villosiusculus.

Rami consimiles.

Folia alterna, longè petiolata, oblique cordato-ovata, utrinque nitida, villosiuscula, integerrima.

Petioli villosiusculi, foliis longiores.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, foliis saepe longiores.

Calyx 5angulatus, 5fidus: *laciniis* subcordatis, in fructu ferè bipartitus.

Corolla calyce triplò major, in emarcidatione purpurascens, infernè alba, supernè caerulea. *Faux* villis pulchre coronata.

Semina oblongo-reniformia, obsolete trigona, interiori latere exsucca, exteriori carnosa.

Habitat in arenosis et saxosis collibus Provinciae *Camanae*, versus *Pongo* et *Atiquipa* vicos, ubi Joannes Tafalla eam observavit, et inde iconem et descriptionem nobiscum communicavit.

Floret Junio, Julio et Augusto.

Explic. Icon. 1 Corolla scissa stamina ostendens. 2 Pistillum. 3 Semina.

NOLANA SPATHULATA. Icon. CXIII. *Fig. a.*

3. N. caule erecto, foliis cordato-triangularibus obliquis, calycibus in fructu bipartitis: laciniis spathulatis.

Planta pubescens, pedalis, annua.

Radix ramosa, fibrosa.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami consimiles, supernè angulosi.

Folia alternatim gemina, petiolata, repanda, cordato-obliqua, basi inaequalia, integerrima, carnosa.

Petioli hirsuti, canaliculati.

Pedunculi interfoliacei, solitarii, uniflori, foliis breviores.

Calyces pentagoni, hirsuti, in fructu bipartiti.

Corolla albo-purpurea. *Tubus* intus hirsutus.

Antherae caeruleae.

Stylus basi pentagonus. *Stigma* capitatum, subpentagonum.

Semina quadrilocularia.

Habitat in *Peruviae* collibus ad *Camanae* Provinciam, in *Pongo* et *Atiquipa* arenosis locis, undè Joannes Tafalla nobis iconem et descriptionem misit.

Floret Junio, et Julio.

Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum. 3 Semina.

NOLANA INFLATA. Icon. CXII. *Fig. a.*

4. N. caule prostrato, foliis radicalibus petiolatis ovato-lanceolatis, calycibus inflatis.

Planta pedalis, succosa, annua.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis prostratus, infernè ramosus, angulatus, purpurascens.

Rami consimiles.

Folia pubescentia, repanda: *radicalia* longè petiolata, bipalmaria, ovata, integerrima, rarius dentata: *caulina inferiora* alterna, breviter petiolata, basi inaequalia, subobliqua; *superiora* gemina, brevius petiolata, ovato-cordata, integerrima.

Panicula terminalis, foliosa.

Pedunculi laterales, solitarii, uniflori, foliis longiores, purpurei.
Calyces ovati, ventricosi, quinquefidi, striati.
Corolla albo-violacea, calyce triplò longior.
Antherae caeruleae.
Semina quadrilocularia.
Habitat in collibus arenosis *Camanae* ad *Pongo* et *Atiquipa* tractus, undè Tafalla iconem et descriptionem misit.
Floret Junio, et Julio.

NOLANA revoluta. Icon. CXIII. *Fig. b.*

5. N. caule procumbente, foliis confertis oblongo-linearibus marginibus revolutis, calycibus ventricosis.
Planta succosa, semipedalis, annua.
Radix ramosa, fibrosa.
Caules plures, procumbentes, ramosi, angulati, albicantes.
Rami consimiles.
Folia gemina, altero majori, oblongo-linearia, integerrima, crassiuscula, subtus albida, marginibus revolutis, sessilia.
Pedunculi axillares terminalesque, solitarii, uniflori, foliis breviores.
Calyces ovati, ventricosi, quinquefidi: *laciniis* lanceolatis.
Corolla caeruleo-violacea, calyce triplò longior.
Habitat in *Peruviae* arenosis locis ad *Camanae* Provinciam, undè Tafalla iconem nobis misit.
Floret Junio, Julio et Augusto.

Habitus.

Plantae herbaceae succosae. *Caules* infernè ramosissimi, utplurimum prostrati. *Folia superiora* gemina, altero minori: *radicalia* et *nonnulla inferiora* solitaria. *Flores* interfoliacei aut laterales, facie Convolvuli.

ALDEA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. pag.* 19.

ALDEA pinnata. Icon. CXIV. *Fig. a.*

1. A. foliis pinnatis, superioribus simplicibus.
Planta pedalis, hirsuta, annua.
Radix fusiformis, tenuis, fibrillosa.
Caules plures, erecti, simplices, teretes.
Folia alterna; *inferiora* longè petiolata, impari-pinnata; *foliolis* sessilibus, lanceolatis, integerrimis; intimis minoribus; *superiora* simplicia, lanceolata, integerrima, breviter petiolata.
Pedunculi alterni, terminales, bispicati, subcorymbosi.
Spicae binae, apice revolutae, semipalmares, aequales.
Flores secundi, breviter pedicellati.
Corolla calyce paulò longior, purpurascens, aut alba, ad angulos leviter pubescens: laciniis subrotundis.
Filamenta ad medium incrassata, è medio ad apicem villosa. *Antherae* incumbentes, biloculares.
Stylus semibifidus, staminum longitudine.
Capsula hirsuta, bivalvis: *valvulis* ovatis, acutis, internè receptaculo tenui longitudinaliter à basi ad apicem decurrente.
Semina punctata; saepè unicum adolescit, alterum abortit.
Habitat in arenosis *Conceptionis Chile* et in *Peruvia* ad *Cheuchin* Provinciae *Caxatambo* vicum.
Floret Novembri in Regno Chilensi, et in Cheuchin mense Aprili.
Vernacule in Chile *Champa.*
Usus: Folia ad atramentum conficiendum valent.
Obs. Cl. Dombey, qui Pericarpium immaturum offendit, semina quatuor descripsit.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem scissa. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce. 7 Eadem aperta. 8 Semina.

ANAGALLIS. Linn. *Gen. plant. pag.* 110.

ANAGALLIS ovalis. Icon. CXV. *Fig. a.*

1. A. foliis ovalibus cum brevi acumine, caule erecto, floribus subsessilibus.
Planta pusilla, vix palmaris, annua.
Radix fibrosa, albidiuscula.
Caulis angulatus, parum ramosus.
Folia sparsa, sessilia, ovalia cum brevi acumine, glabra, integerrima.
Flores axillares, solitarii, subsessiles.
Corolla minima.
Habitat in *Peruviae* collibus arenosis ad *Cercado* et *Chancay* Provincias.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Eadem circumscissa. 7 Semina.

NAVARRETIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 20.

NAVARRETIA involucrata.

1. N. foliis pinnato-multifidis, laciniis lineari-subulatis, bracteis multifidis.
Planta herbacea, semipedalis, annua.
Radix fibrosa, albidiuscula.
Caulis erectus, teres, pubescens, parum divisus.
Folia sessilia, alterna, pinnato-multifida; *laciniis* lineari-subulatis.
Flores in capitulum involucratum collecti, bracteis distincti.
Involucri *Foliola* et *Bracteae* multifidae.
Corolla purpurea.
Habitat in *Chile* umbrosis et stagnatis ad *Huilquilemu*, in Provincia *Rere*, aliàs *Estancia del Rey.*
Floret Decembri, et Januario.

SESSEA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. pag.* 21. Icon. XXXIII.

SESSEA stipulata. Icon. CXV. *Fig. b.*

1. S. foliis lanceolatis cordatisque, racemis paniculatis.
Frutex foetidus, orgyalis (*Cestri* habitu).
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami teretes, erecti.
Folia alterna, petiolata, saepius lanceolata cordataque; aliquando oblonga ovataque, integerrima, supra glabra, subtus lanuginosa, albicantia.
Stipulae axillares, auriculaeformes, subcordatae, oppositae, ad latus reclinatae, deciduae.
Racemi terminales, erecti, subpaniculati, lanuginosi.
Pedunculi corymbosi, compositi.
Flores sessiles; *bracteolis* subulatis, deciduis suffulti.
Calyx lanuginosus.
Corolla lutea, lanuginosa.
Habitat in *Peruviae* montibus *Huanuci* locis frigidis ad *Ñauyan* praedium, et *Rondos* vicum.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Stamen. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Receptaculum seminum. 10 Semina.

SESSEA dependens. Icon. CXVI.

2. S. foliis cordato-oblongis, racemis longissimis pendulis.
Arbor quinqueorgyalis, parum frondosa.
Truncus erectus, cinereus.
Rami teretes, penduli: *teneri* flexuosi.
Folia sparsa, petiolata, cordato-oblonga, acuta, integerrima, subtus valde pulverulenta.
Petioli subtus bisulci, supra pulverulenti, sulcati.
Stipulae nullae.
Racemi terminales, longissimi, dependentes.
Flores terni, sessiles.
Calyx pulverulentus.
Corollae *Tubus* niger. *Limbus* luteus, extus pubescens.
Capsulae nigrae.
Habitat in *Peruviae* ripis ad *Huassahuassi*, Provinciae *Tarmae* vicum.
Floret Novembri, Decembri et Januario.
Vires: Utraque Species vi anodinâ et emollienti pollet.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Stamen. 6 Pistillum. 7 Capsula cum calyce. 8 Eadem aperta. 9 Receptaculum. 10 Semina.

SPIGELIA. Linn. *Gen. plantar. pag.* 110.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* subulatis; inferum, persistens.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* calyce longior, basi angustior. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* ovatis, patentibus.
Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, medio tubi inserta. *Antherae* ovatae, inclusae, erectae, biloculares.
Pist. *Germen* didymum, disco minimo, persistenti insidens. *Stylus* simplex, subulatus, longitudine staminum, persistens. *Stigma* truncatum, leviter concavum, linea transversali notatum.
Per. *Capsula* didyma, obcordata, bilocularis, quadrivalvis.
Sem. plura, oblonga. *Receptacula* globosa.

SPIGELIA anthelmia.

1. S. foliis inferioribus oppositis: superioribus quaternis, floribus spicatis secundis.
Spigelia (*anthelmia*) caule herbaceo, foliis summis quaternis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 425.*
Anthelmenthia quadriphylla spicis terminalibus et è centro frondis. Brown. *jam. 156. tab. 37. fig. 3.*
Planta herbacea, pedalis, glabra.
Radix ramulosa, fibrosa.
Caulis simplex, obsoletè tetragonus, erectus, terminatus ramis quatuor divergentibus, subaequalibus.
Rami consimiles: aliquando duo ex axillis paris supremi foliorum.
Folia breviter petiolata, oblonga ovataque, integerrima, venosa: *inferiora* opposita, ut plurimum paria quatuor: *terminalia* quaterna.
Spicae terminales, solitariae, bipalmares, apice nutantes.
Flores unilaterales, secundi, sessiles, bracteolâ subulatâ stipati.
Calyx corollâ duplò brevior, leviter pubescens.
Corolla alba.
Capsula pallescens.
Semina fulvescentia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Huancabamba* fluvium et in ruderatis *Pozuzo*.
Floret Augusto, et Septembri.

CONVOLVULUS. Linn. *Gen. pl. pag.* 116.

CONVOLVULUS cymosus. Icon. CXVII. *Fig. b.*

1. C. foliis cordatis integerrimis, caule filiformi, pedunculis multifloris umbellato-cymosis.
Planta volubilis.
Caulis ramosissimus, filiformis, pilosiusculus, pilis deciduis.
Rami consimiles.
Folia alterna, longè petiolata, cordata, acuta, integerrima, supra nitida.
Pedunculi axillares, solitarii, bifidi, 5-11flori.
Pedicelli inaequales, bracteolis subulatis fulti.
Flores umbellato-cymosi.
Corolla lactea.
Habitat in *Peruvia* ad *Pozuzo* versuras.
Floret Septembri, et Octobri.
Explic. Icon. 1 Pistillum.

CONVOLVULUS SECUNDUS. Icon. CXVII. *Fig. a.*

2. C. foliis cordatis acuminatis integerrimis, pedunculis secundis longissimis, floribus umbellatis.

PLANTA herbacea, prostrata, pubescens.

RADIX ramosa.

CAULES teretes, diffusi, ramosi.

RAMI consimiles.

FOLIA breviter petiolata, cordata, integerrima, acuminata emarginataque, subtus albicantia.

PEDUNCULI foliis duplò longiores, erecti, secundi, teretes, apice incrassati, multiflori, subumbellati.

PEDICELLI bracteolis subulatis, persistentibus stipati.

COROLLA caerulea.

HABITAT in *Peruviae* collibus arenosis versùs *Pongo* et in *Lurin* circuitu ad *Pachacamac* tractum.

FLORET Decembri, et Januario.

VULGO Campanillas de Lomas.

Explic. Icon. 1 Pistillum.

CONVOLVULUS SEPIUM.

3. C. foliis sagittato-hastatis posticè obtusis acutisque, pedunculis tetragonis unifloris, involucro diphyllo cordato.

CONVOLVULUS (*sepium*) foliis sagittatis posticè truncatis, pedunculis tetragonis unifloris. LINN. *Sp. pl. pag. 434.*

PLANTA volubilis.

HABITAT in segetibus et sepibus *Limae*, *Surco* et *Lurin.*

FLORET Januario, Februario et Martio.

VULGO Campanillas blancas.

Obs. Folia sagittata, sed plerumque sagittato-hastata. *Pedunculi* solitarii, aliquando gemini, uniflori.

CONVOLVULUS CRENATIFOLIUS. Ic. CXVIII. *Fig. a.*

4. C. foliis sagittatis crenatis, pedunculis longis, floribus umbellatis.

PLANTA volubilis, pubescens, annua.

CAULIS teres, ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA alterna, petiolata, sagittata, acuta, crenata, nonnulla è medio ad apicem integerrima.

PEDUNCULI axillares, longi, umbellati, involucrati, 5-11flori, teretes, supernè incrassati.

PEDICELLI bracteolis subulatis, parvis suffulti.

COROLLA apice pilosa.

HABITAT in *Chancay* et *Huanuci* collibus.

FLORET Septembri, et Octobri.

Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum.

CONVOLVULUS HERMANNIAE.

5. C. foliis cordato-sagittatis subhastatisque obtusis crenato-sinuatis; nonnullis integerrimis, pedunculis bifloris.

CONVOLVULUS (*hermanniae*) foliis subhastatis posticè obtusis, corollis apice pilosis, pedunculis bifloris. L'HERIT. *Stirp. nov. fasc. 4. pag. 67. tab. 33.*

PLANTA herbacea, volubilis, sericea, incana, grisei coloris, carnosa.

RADIX fusiformis.

CAULIS volubilis, teres, ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA alterna, petiolata, obtusa cum acumine minimo: *inferiora* cordato-sagittata, crenato-sinuata, angulis obtusis; *superiora nonnulla* sagittato-hastata, angulis posticis, obtusis acutisque, integerrima crenataque.

PEDUNCULI axillares, uniflori, plerumque biflori, rariùs triflori, bracteolis subulatis sub singulis pedicellis.

COROLLA alba, 5fida: *laciniis* acutis, apice pilosis.

CAPSULA helvola.

SEMINA nigra.

HABITAT in *Chancay* Provinciae aridis ad *Huaura* oppidum.

FLORET Septembri, et Octobri.

VULGO Impertinente et *Enredadera.*

CONVOLVULUS TRICOLOR.

6. C. foliis obovatis, oblongis lanceolatisque, caule declinato, pedunculis unifloris.

CONVOLVULUS (*tricolor*) foliis lanceolato-ovatis, caule declinato, floribus solitariis. LINN. *Sp. pl. tom. 1. p. 446.*

PLANTA herbacea, procumbens, hirsuta, pilis foliorum utraque paginâ deciduis.

CAULIS declinatus, ramis assurgentibus, teres.

FOLIA sparsa, sessilia, obovata, oblonga lanceolataque, integerrima.

PEDUNCULI axillares, solitarii, uniflori, filiformes, foliorum longitudine, supernè crassiores, in flore erecti, in fructu recurvi, ultra medium bracteolis duabus oppositis, subulatis stipati.

CALYCIS *Laciniae* aequales.

COROLLA in centro lutea, ad medium alba, margine caerulea.

HABITAT in *Peruviae* cultis et calidis locis.

FLORET Majo, et Junio.

CONVOLVULUS MACROCALYX. Ic. CXVIII. *Fig. b.*

7. C. foliis quinatis oblongo-lanceolatis integerrimis, pedunculis longissimis racemoso-dichotomis, calycibus scariosis.

PLANTA volubilis, glabra, perennis.

CAULIS ramosissimus, teres, herbaceus.

FOLIA alterna, longè petiolata, quinata: *foliola* oblongo-lanceolata, integerrima; *intima* minora.

PETIOLI basi purpurascentes, contorti.

PEDUNCULI axillares, longissimi, multiflori, racemoso-dichotomi, purpurei.

PEDICELLI bracteolis duabus oppositis, subulatis, parvis stipati.

CALYCES magni, exteriùs purpurascentes, in fructu patentes.

Corolla alba.
Habitat in *Peruviae* nemoribus versùs *Cuchero* et *Chinchao* vicos.
Floret Julio, Augusto et Septembri.
Explic. Icon. 1 Pistillum.

CONVOLVULUS batatas.

8. C. foliis cordatis hastatis quinquenervibus, caule repente tuberifero. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 438.*
Colitur in *Peruviano* et *Chilensi Regno.*
Floret Junio, et Julio.
Vernacule Camote nuncupatur. In Hispania *Batatas de Málaga* dicitur.
Usus: Radix edulis.
Obs. Radices colore albo, violaceo et luteo plerumque variant.

IPOMOEA. Linn. *Gen. pl. pag.* 116.

IPOMOEA cuspidata. Icon. CXIX. *Fig. a.*

1. I. foliis cordatis trilobis; lobis cuspidatis, pedunculis unifloris, laciniis calycis linearibus basi hirsutissimis.
Planta herbacea, pilosa, annua.
Radix fibrosa, albicans.
Caulis erectus, filiformis, flexuosus, parum ramosus.
Folia longè petiolata, cordata, triloba: *lobis* cuspidatis; *lateralibus* brevibus: *inferiora nonnulla* cordata, integerrima.
Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, petiolis breviores, teretes.
Bracteae duae, oppositae, subulatae ad pedunculi apicem.
Calyx densè villosus, villis aureis; *laciniis* linearibus, longis.
Corolla purpurascens, ephemera.
Habitat in *Peruviae* petrosis, passim ad *Huaura* et *Arnedo* tractus.
Floret Julio, et Augusto.

IPOMOEA acutangula. Icon. CXIX. *Fig. b. angulatae nomine.*

2. I. foliis sagittato-triangularibus, angulis posticis dentatis, caule tereti, pedunculis tri-quinquefloris foliorum longitudine.
Planta herbacea, volubilis, annua.
Caulis ramosus, filiformis, teres.
Rami consimiles.
Folia longè petiolata, sagittato-triangularia, acuta: angulis posticis, dentatis.
Pedunculi solitarii, tri-quinqueflori.
Pedicelli bracteis duabus subulatis, oppositis suffulti.
Corolla coccinea, ephemera.
Habitat in *Pozuzo* et *Chinchao* nemoribus.
Floret Septembri, et Octobri.
Obs. Hujus et sequentis Speciei Icones aeri incisae fuerant diversis nominibus trivialibus, antequam in luce proderet clar. Ortegae Decad. septima, quae nos eadem in descriptionibus immutare, ne confusio inde oriretur, coegit.

IPOMOEA angulata. Icon. CXX. *Fig. b. acuminatae nomine.*

3. I. foliis cordato-sagittatis acuminatis acutisque, caule angulato, pedunculis subbifloris, calycibus unguiculatis.
Ipomoea (*angulata*) foliis cordato-sagittatis acutis, caule pedunculisque angulatis, pedicellis subbifloris. Ortega *Dec. 7. pag. 83.*
Planta herbacea, volubilis, glabra, annua.
Radix tenuis, fibrillosa, albida.
Caulis infernè ramosus, angulatus, contortus, articulationibus lividis.
Rami consimiles.
Folia petiolata, cordato-sagittata, integerrima, acuta acuminataque, nonnulla cordata, à medio ad basim angulata, septemnervia.
Petioli basi contorti, longi, canaliculati.
Pedunculi axillares, solitarii, petiolis longiores, angulosi, contorti, saepius biflori, interdum 1-3-5flori.
Pedicelli cernui, inaequales, bracteâ ovatâ, acutâ suffulti, in fructu incrassati.
Calycis *Laciniae* inaequales, apicis dorso unguiculatae, nitidae, aliquando tuberculatae.
Corolla ephemera. *Tubus* tenuis, calyce quadruplò longior, croceo-rubescens. *Limbus* coccineus, brevis, patens, rotundatus, margine revoluto.
Filamenta longitudine corollae, subaequalia, glabra, basi glandulifera. *Antherae* cordatae, obtusae, albae.
Germen anulo luteo, brevi cinctum. *Stylus* staminum longitudine. *Stigma* globosum.
Capsula pisi magnitudine, obtusè 3-4gula, 3-4locularis, saepè bilocularis.
Semina trigona, nigra, solitaria.
Habitat in praeruptis et petrosis *Limae*, passim ad *Amancaes*, et in *Chancay* collibus. Colitur in Hort. Reg. Matrit. è seminibus à nobis misis.
Floret Augusto, Septembri et Octobri.
Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum. 3 Capsula. 4 Semina.

IPOMOEA papiru. Icon. CXX. *Fig. a.*

4. I. foliis palmatis cordatis; lobis quinis lanceolatis, pedunculis unifloris, radice tuberosa.
Planta volubilis, pubescens, perennis.
Radix tuberosa, subrotunda, saepius oblonga, crassa, fibrillosa, extus fusca, intus alba.
Caules plures, parum ramosi, filiformes.
Rami consimiles.
Folia palmata, cordata; *lobis* quinis, lanceolatis, integerrimis: *intimis* minoribus: *intermediis* denticulo unico ad basim.
Petioli longitudine ferè foliorum, teretes, supra parum sulcati.

Pedunculi axillares, breves, solitarii, uniflori, ultra medium bracteolis duabus subulatis, persistentibus stipati.
Calycis *Laciniae* subcordatae.
Corolla purpurea, calyce quadruplò longior, ephemera.
Habitat in *Tarmae* Provinciae collibus ad *Tarmatambo* et *Acobamba* tractus.
Floret Februario, et Martio.
Vernacule Papiru appellatur.
Vires et usus: Radix vi drasticâ pollet.

IPOMOEA subtriloba.

5. I. foliis cordatis integerrimis subtrilobisque, pedunculis unifloris, radice tuberosa.
Planta volubilis, pubescens, perennis.
Radix tuberosa, obovata.
Caules filiformes, ramosi.
Rami consimiles.
Folia cordata, integerrima subtrilobaque, acuta.
Petioli longitudine ferè foliorum.
Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, petiolo breviores, ultra medium bracteolis duabus subulatis fulti.
Corolla purpurea, ephemera.
Habitat in collibus *Tarmae* et *Huassahuassi*.
Floret Novembri, et Decembri.
Vernacule Papiru.
Vires et Usus. Radix drastica. Incolae ad alvum determendam decocto vel infuso utuntur.
Obs. An praecedentis varietas?

IPOMOEA glandulifera. Icon. CXXI. *Fig. a.*

6. I. foliis cordato-subrotundis acuminatis, pedunculis subquadrifloris incrassatis, calycibus glanduliferis.
Planta volubilis, hirsuta, lactifera, perennis.
Radix fusiformis, fibrillosa, albida.
Caulis ramosissimus, teres.
Rami consimiles.
Folia longè petiolata, cordato-subrotunda, acuminata, integerrima.
Pedunculi axillares, solitarii, foliorum longitudine, filiformes, erecti, 3-4flori.
Pedicelli supernè incrassati, bracteis subulatis stipati; in fructu cernui.
Calyx granulis glanduliferis respersus: *foliolis tribus exterioribus* duplò latioribus.
Corollae *Tubus* purpureus. *Limbus* caeruleo-violaceus.
Filamenta inaequalia, basi villosa.
Stigma capitatum, trigonum.
Capsula trilocularis.
Semina, bina, nigra.
Habitat in segetibus et cultis *Limae*, *Chancay* et *Huanuci*.
Floret per totum annum.
Vulgo: Auroras, quia flores manè explicantur.
Explic. Icon. 1 Calyx cum pistillo. 2 Capsula. 3 Eadem transversim secta.

IPOMOEA villosa. Icon. CXXI. *Fig. b.*

7. I. foliis cordatis trilobis, lobis acuminatis lateralibus extrorsum excavatis, pedunculis trifloris involucratis.
Planta volubilis, hirsuta, annua.
Caulis filiformis, ramosus.
Rami consimiles.
Folia triloba; *lobo intermedio* angustiori, productiori, infernè coarctato: *lateralibus* ovatis, extrorsum excavatis.
Petioli longi, teretes.
Pedunculi solitarii, axillares, triflori.
Pedicelli bracteolis subulatis involucrati.
Calyces hirsutiores.
Corolla glabra, caerulea, ephemera.
Stamina basi villosa.
Stigma capitatum, granulosum.
Capsula glabra.
Habitat passim in *Pozuzo* et *Muña* nemoribus ad agrorum margines.
Floret Septembri, et Octobri.
Obs. Planta affinis Ipomoeae trilobae Linnaei, à cujus descriptione species nostra differt, *Caule* tereti, *Foliis* villosis ut tota planta (exceptis corolla et capsula), *Corollis* infundibuliformibus, *Stigmate* capitato, granuloso, *Capsulâ* glabrâ.

FABIANA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 22. Icon. XXXIV.

FABIANA imbricata. Icon. CXXII. *Fig. b.*

1. F. foliis imbricatis ovatis minimis.
Frutex (*Tamarisci* habitu) triorgyalis, odorem resinosum spirans.
Caulis erectus, ramosissimus.
Rami sparsi, teretes. *Ramuli* confertissimi, imbricati, brevissimi, foliis tecti.
Folia imbricata, minima, sessilia, ovata, squamaeformia, glabra, integerrima, intus concava, extus convexa.
Flores terminales, solitarii; unicus ex apice singuli ramuli.
Corolla albo-violacea.
Capsula helvoli coloris.
Habitat in *Regni Chilensis* campis et ripis arenosis in Provinciis *Rere* et *Itatae*, et praesertim juxta fluvium *la Laxa*, et ad *Biobio* margines.
Floret Decembri, et Januario.
Vernacule Pichi nuncupatur.
Vires et Usus. Efficacissimum adversus *Pizguin* morbum, quo Caprae et Arietes laborant, praesidium est. *Folia* amaro sapore *Canchalaguae* haud dissimili pollent.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Eadem aperta. 7 Semina.

NIEREMBERGIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 23.

NIEREMBERGIA REPENS. Icon. CXXIII. *Fig. c.*

1. N. caule repente, foliis oblongis.

Planta herbacea, pedalis, annua.

Caulis ramosus, repens, tenuis, teres, filiformis.

Folia quinque, sex vel plura ex singulo geniculo, gradatim majora, oblonga ovataque, integerrima, leviter pilosa.

Flores solitarii, sessiles: unicus ex singulo geniculo.

Corolla alba. *Tubus* calyce quadruplò longior, tenuis. *Faux* lutea, 15-plicaturis. *Limbus* patulus, exteriùs lineis tribus purpureo-violaceis per singulas lacinias decurrentibus.

Filamenta quinque, subulata, brevia, inaequalia; nectario tubuloso, membranaceo, ex fauce corollae orto insidentia. *Antherae* erectae, oblongiusculae, biloculares.

Habitat in *Regni Chilensis* campis, apricis et pascuis arenosis *Conceptionis* urbis, versùs *Puntilla* tractum, et *Gavilan* paludem.

Floret Februario, Martio et Aprili.

XUAREZIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 24. Icon. IV.

XUAREZIA BIFLORA. Icon. CXXIII. *Fig. a.*

1. X. foliis lanceolatis supernè serratis, floribus geminis.

Capraria (*peruviana*). Fewill. *Per. Obs. t. 2. pag. 764. pl. 48.*

Planta fruticosa, quadripedalis, glabra.

Caulis erectus, ramosissimus, teres.

Rami consimiles, densi.

Folia sparsa, sessilia, lanceolata, acuta, angusta, acutè serrata.

Pedunculi axillares, gemini, altero breviori, uniflori, filiformes, breves, in flore erecti, in fructu cernui.

Corolla albo-lutescens.

Habitat in *Peruviae* arenosis ripis et argillosis locis *Limae*, *Lurin*, *Huanuci* et *Chancay*.

Floret Majo, Junio et Julio.

Vernacule Thé del Perú.

Obs. De hoc Frutice agens P. Fewilleus asserit, ignotum in *Peruvia*, et neglectum fuisse ante annum M.DCC.IX, quo tempore ejus vires easdem esse ac Theae orientalis primùm innotuit usque adeo, ut Incolae illius usum, quem frequenter adhibent, hujus usui subrogaverint, neque *Limae* jam exterae Theae particulam invenire liceat.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla postice visa. 4 Stamina aucta. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem dehiscens. 8 Semina.

LISIANTHUS. Linn. *Gen. pl. pag.* 111.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* campanulatum, quinquepartitum; *laciniis* ovatis, obtusis, concavis, margine membranaceis, incumbentibus: inferum, persistens.

Cor. tubuloso-campanulata, calyce multò longior. *Tubus* basi coarctatus. *Faux* ampliata. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* rotundatis, reflexis.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, coarctationi tubi inserta, faucis longitudine. *Antherae* cordatae, versatiles, biloculares.

Pist. *Germen* ovatum, corpore glanduloso parvo cinctum. *Stylus* subulatus, staminum longitudine, persistens. *Stigma* bilobum; *laciniis* oblongis.

Per. *Capsula* ovato-oblonga, acuminata, bilocularis, bisulca, bivalvis: *valvularum* marginibus introflexis.

Sem. numerosa, oblonga, minima, compressa, subimbricata, margine minimo, membranaceo cincta. *Receptaculum* oblongum, bisulcum.

Obs. In *Lisiantho calygono*: *Calyx* quinqueangularis: *laciniis tribus exterioribus* lanceolatis; *interioribus duabus* subsagittatis; *omnibus* margine membranaceo, fimbriato cinctis: *Corolla* subringens; *laciniis* cordato-sagittatis, acuminatis, reflexis: *Antherae* cordato-sagittatae: *Capsula* ovata. In *Lis. acutangulo*: *Laciniae calycis* ovatae, concavae: *Corolla* subringens; *laciniae* subrotundae, revolutae: *Tubus* incurvatus: *Filamenta* intorta: *Antherae* oblongo-cordatae: *Capsula* oblonga. In *Lis. viscoso*: *Calycis laciniae* oblongae, concavae: *Corollae laciniae* subrotundo-cordatae, aequales, patentes: *Antherae* cordatae: *Capsula* ovato-lanceolata.

Habitus.

Plantae suffruticosae. *Caules* erecti, virgati, obtusè aut acutè tetragoni. *Folia* connata, petiolata aut sessilia, integerrima, crassiuscula. *Flores* terminales, aut ex axillis superioribus paniculati, aut corymbosi, sparsi aut secundi. *Pedunculi* dichotomi. *Pedicelli* bracteis sustentati.

LISIANTHUS OVALIS.

1. L. foliis ovalibus aveniis breviter petiolatis, caule tereti, pedunculis corymbosis dichotomis.

Planta suffruticosa, glabra, biorgyalis.

Caules plures, erecti, virgati, teretes, cavi, supernè parum ramosi.

Folia breviter petiolata, ovalia, integerrima, nitida, avenia.

Petioli connati.

Pedunculi axillares terminalesque, corymboso-dichotomi.

Flores secundi, pedicellati.

Pedicelli bracteâ stipati.

Corolla viridi lutea.

Capsulae dependentes, stylo acuminatae.

Habitat in *Peruviae* nemoribus per *Chinchao* runcationes.

Floret Majo, et Junio.

LISIANTHUS ACUTANGULUS. ICON. CXXII. *Fig. a.*

2. L. foliis subsessilibus ; inferioribus cordatis ; superioribus ovatis , caule tetragono , paniculâ dichotomâ.

PLANTA herbacea , glabra.

RADIX ramosa , fibrillosa.

CAULIS erectus, ferè biulnaris , supernè dichotomus , acutè tetragonus , cavus.

RAMI consimiles.

FOLIA remota , connata , subsessilia, venosissima: *inferiora* cordata : *superiora* ovata.

FLORES terminales , paniculati, secundi , bracteâ ovatâ suffulti.

PANICULA dichotoma.

PEDUNCULI breves , supernè crassiores , uniflori.

CALYX brevis : *laciniis* ovatis , concavis.

COROLLA lutea , subringens. *Limbi laciniae* subrotundae, revolutae. *Tubus* incurvatus.

FILAMENTA intorta. *Antherae* oblongo-cordatae.

CAPSULAE oblongae, stylo acuminatae , dependentes.

HABITAT in *Panatahuarum* montibus ad *Chinchao* runcationes in locis meridionalibus.

FLORET Junio , et Julio.

Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus. 2 Pistillum. 3 Capsula transversim secta. 4 Semina.

LISIANTHUS CORYMBOSUS. ICON. CXXIV.

3. L. foliis oblongo-lanceolatis petiolatis, caule tereti striato , corymbis terminalibus.

LISIANTHUS (glaber). LINN. *Supp. pl. pag.* 134. SMITH. *Icon. pl. fasc.* 2. *p.* 29. *ic.* 29.

PLANTA suffruticosa , glabra, biorgyalis.

CAULIS erectus , parum ramosus , leviter striatus , cavus.

FOLIA remota , petiolata , oblongo-lanceolata, integerrima, crassiuscula , venosissima , supra laevia , nitida.

PETIOLI breves , connati.

PEDUNCULI axillares terminalesque , corymboso-dichotomi.

PEDICELLI pollicares , supernè incrassati , bracteolâ lanceolatâ stipati.

COROLLA lutea. *Limbus* patens : *laciniis* parum deflexis.

CAPSULAE oblongae, nutantes , stylo contorto acuminatae, calyce triplò longiores.

HABITAT in *Peruviae* nemoribus inter *Acomayo* et *Chinchao* ad *Pati* praedium.

FLORET Majo , et Junio.

Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum. 3 Semina. 4 Semen auctum.

LISIANTHUS VISCOSUS. ICON. CXXV.

4. L. foliis oblongis breviter petiolatis venosissimis , caule tetragono sulcato , corymbis terminalibus viscosis.

PLANTA suffruticosa , glabra , biorgyalis.

CAULIS erectus, obtusè tetragonus, supernè parum ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA breviter petiolata , oblonga , venosissima , integerrima , supra nitidissima: *inferiora* pedalia (*Mandragorae* facie) , leviter repanda.

PETIOLI connati.

CORYMBI terminales, magni , foliosi : *foliolis* sessilibus.

PEDICELLI breves , bracteis ovatis , recurvis sustentati.

CALYX viscosissimus, nitidus: *laciniis* oblongis , concavis.

COROLLA magna , luteo-viridis : *laciniae* subrotundo-cordatae , aequales , patentes.

ANTHERAE cordatae.

CAPSULA subpalmaris, oblonga , erecta.

HABITAT in altis locis *Muña* ad *Tambo nuevo* tractus.

FLORET Julio , et Augusto.

Explic. Icon. 1 Calyx cum pistillo. 2 Stamina tubo corollae inserta. 3 Capsula aperta. 4 Semina.

LISIANTHUS CALYGONUS. ICON. CXXVI.

5. L. foliis lanceolato-ovatis breviter petiolatis , caule obsoletè tetragono, pedunculis unifloris, calyce pentagono.

PLANTA suffruticosa , glabra , orgyalis.

CAULIS ramosus , obtusè tetragonus.

RAMI consimiles , vestigiis petiolorum anulati.

FOLIA breviter petiolata , conferta , lanceolato-ovata , margine parum revoluta.

PETIOLI connati.

PEDUNCULI ex axillis superioribus terminalesque , solitarii, uniflori , curvati, bracteis tribus, ovatis , acuminatis, concavis ad basim sustentati.

CALYX quinqueangularis ; *laciniis tribus exterioribus* lanceolatis ; *interioribus duabus* subsagittatis ; *omnibus* margine membranaceo , fimbriato cinctis.

COROLLA subringens , roseo-rubra , magna : *laciniis* ovatis, acuminatis , reflexis. *Antherae* cordato-sagittatae.

CAPSULA ovata , magna.

HABITAT in montibus frigidis *Acomayo* , *Muña* et *Pillao*, ad *Chacahuassi* et *Achapatumam* tractus.

FLORET Augusto , et Septembri.

Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum. 3 Capsula per medium secta. 4 Semina.

LISANTHUS REVOLUTUS. ICON. CXXVII.

6. L. foliis lanceolatis petiolatis, marginibus revolutis, caule tetragono striato, corymbis terminalibus.

PLANTA suffruticosa , glabra , amarissima , orgyalis.

CAULIS erectus , tetragonus , striatus , supernè ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA breviter petiolata, integerrima , venosa, supra nitida, subtus per venas villosa, villis retroflexis, marginibus revolutis ; *inferiora* lanceolata, approximata: *superiora* remotiora , ovato-oblonga , acuminata , venis inferioribus oppositis.

PETIOLI connati.

CORYMBI axillares terminalesque , multiflori.

PEDUNCULI brachiati.

PEDICELLI breves , bracteolis lanceolatis suffulti.

COROLLA rubro-lutea , calyce 4plò longior.

Habitat in montibus altis frigidis *Muña* ad *Saria* tractum.
Floret Augusto, Septembri et Octobri.
Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae affixa. 2 Pistillum cum calyce. 3 Semina.

DATURA. Linn. *Gen. pl. pag.* 132.

DATURA stramonium.

1. D. pericarpiis spinosis erectis ovatis, foliis ovatis angulatis basi inaequalibus.
Datura (*Stramonium*) pericarpiis spinosis erectis ovatis, foliis ovatis glabris. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 497.*
Planta herbacea, glabra, tripedalis.
Radix fusiformis, fibrillosa.
Caulis erectus, teres, dichotomus.
Folia alterna, longè petiolata, ovata, angulata, basi inaequalia.
Pedunculi ex dichotomiis solitarii, breves, uniflori, erecti.
Corolla violaceo-caerulea, saepè alba.
Pericarpium ovatum, spinosum, erectum.
Semina nigra.
Habitat copiosè in *Cantae*, *Limae*, et *Huanuci* versuris.
Floret ferè toto anno.
Vernacule Chamíco dicitur.
Vires: Seminum pulvere ad fatuitatem inducendam Incolae abutuntur.

DATURA arborea. Icon. CXXVIII.

2. D. pericarpiis glabris inermibus oblongis pendulis, foliis ovato-lanceolatis oblongisque geminis, caule fruticoso.
Datura (*arborea*) pericarpiis glabris inermibus nutantibus, caule arboreo. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 498.*
Stramonioides arboreum oblongo et integro folio, fructu laevi. Few. *Per. Obs. tom. 2. pag. 761. planch. 46.*
Frutex triorgyalis, frondosus.
Caulis saepius unicus, erectus, teres, crassus, ramosus.
Rami teretes, granulis adspersi, patuli.
Folia ovato-lanceolata, oblonga ovataque, integerrima, nonnulla sinuato-angulata, utrinque pubescentia, gemina, altero triplò breviori.
Petioli teretes, pollicares et ultra.
Pedunculi ex dichotomiis et ex axillis foliorum breviorum, solitarii, recurvi, uniflori.
Flores penduli, longissimi, diu graveolentes, noctu verò *Moschi* odorem spirantes.
Calyx tubulosus, spathaeformis, integerrimus, usque ad medium longitudinaliter hians.
Corolla maxima, alba, nervis tribus viridiusculis per singulas lacinias ad basim tubi longitudinaliter decurrentibus.
Pericarpium oblongum, bipalmare, inerme.
Semina fusca, trigono-truncata, depressa.
Habitat in *Peruviae* hortis, versuris et septis, passim ad *Cercado*, *Chancay*, et *Huanuci* Provincias.
Floret ferè toto anno.
Vernacule Floripondio, *Campanilla* et *Almizclillo.*
Vires et usus: Folia cum axungia suilla contusa, vi emollienti, resolutivâ et sedante pollent.
Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum. 3 Semina. 4 Capsulae dimidia pars transversim secta.

DATURA sanguinea.

3. D. pericarpiis inermibus oblongo-cylindricis pendulis, foliis lanceolatis angulatis congestis, caule fruticoso.
Frutex quadriorgyalis, comâ frondosâ, hemisphaericâ.
Caulis saepius unicus, erectus, crassus, supra ramosissimus.
Rami teretes, fragiles, in summitatibus foliosi.
Folia quatuor, quinque sexve ex eodem puncto, petiolata, subtus levissimè pubescentia, supra glabra, nitida: *inferiora* ovato-lanceolata, angulata; *superiora* integerrima.
Petioli teretes, foliis duplò breviores.
Pedunculi terminales, solitarii, curvati, uniflori.
Flores penduli, magni.
Calyces ovati, pentagoni, variegati, pollicares.
Corolla calyce quadruplò longior, è medio ad basim lutescens, supernè rubra, lineis quindecim longitudinalibus, sanguineis maculata.
Capsula oblongo-cylindrica, inermis, ferè bipalmaris, pendula.
Habitat in altis, frigidis et ruderatis locis Provinciarum *Tarmae*, *Xauxae*, *Huarocherí*, *Cantae* et *Huamalies.*
Floret Junio, Julio et Augusto.
Vernacule Floripondio encarnado et *Campanillas encarnadas.*
Vires: Folia contusa et Axungiae suillae mixta emolliunt, suppurant, detergunt. Semina inebriantia et narcotica sunt.

NICOTIANA. Linn. *Gen. pl. pag.* 133.

NICOTIANA tabacum.

1. N. foliis lanceolato-oblongis decurrentibus, paniculâ subcorymbosâ, corollis acutis.
Nicotiana (*Tabacum*) foliis lanceolato-ovatis sessilibus decurrentibus, floribus acutis. Linn. *Sp. pl. pag.* 205.
Planta herbacea, perennis, orgyalis et ultra, viscosa, densè hirsuta.
Radix ramosa, fibrosissima, albicans.
Caulis erectus, teres, supernè ramosus.
Rami consimiles, breves.
Folia alterna, sessilia, integerrima: *inferiora* decurrentia, amplissima, ovato-oblonga, acuta: *superiora* lanceolata, angusta, patenti-deflexa, non decurrentia.
Flores terminales, paniculato-corymbosi, numerosi.
Pedunculi axillares, tri-septemflori.
Pedicelli bracteâ lineari-lanceolatâ, persistenti, erectâ suffulti.
Calyx oblongus, inflatus, quinquefidus: *laciniis* acutis, subaequalibus.
Corolla infundibuliformis, calyce duplò longior. *Tubus*

angustus, curvatus, glutinosus, lutescens, hirsutus. *Faux* ampliata. *Limbus* campanulatus, roseus, quinquefidus: *laciniis* acutis, retroflexis.

Filamenta inaequalia, basi hirsuta, curvata. *Antherae* cordatae, luteae, erectae, biloculares, faucis longitudine.

Stigma capitatum, lineâ transversali sulcatum, viride.

Capsula calyce semitecta, ovata, fusca.

Semina fusci coloris.

Habitat copiosè in *Peruviae* locis imis, calidis, praesertim in *Andium* nemoribus, ubi colitur ad tubulos et fasciculos, vulgò *Cigarros* et *Mazos de Andullo,* conficiendos.

Floret per totum annum.

Vulgo Tabaco verdadero.

NICOTIANA paniculata. Icon. CXXIX. *Fig. b.*

2. N. foliis cordatis obtusis, paniculâ maximâ, corollis clavatis limbo obtuso revoluto.

Nicotiana (*paniculata*) foliis petiolatis cordatis, integerrimis, floribus paniculatis obtusis clavatis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 503.*

Nicotiana (*minor*) folio cordiformi, tubo floris praelongo. Fewill. *Per. Obs. tom. 1. pag. 717. pl. 10.*

Planta herbacea, pubescens, annua.

Radix ramoso-fibrosa, albidiuscula.

Caulis erectus, tripedalis, simplex, teres, supernè ramulis paucis, brevibus, vix angulatis.

Folia alterna, petiolata, ampla, cordata, obtusa, valdè venosa: *superiora nonnulla* ovata; *majora* quadripalmaria.

Petioli bipollicares, supra leviter sulcati.

Panicula terminalis, magna, viscosa.

Pedunculi sparsi, multiflori.

Flores breviter pedicellati, bracteolâ lineari stipati.

Calyx ovatus, quinquedentatus: *denticulis* erectis, subaequalibus.

Corolla tubulosa, calyce sextuplò longior. *Tubus* lutescens, clavatus. *Faux* coarctata. *Limbus* brevissimus, obtusus, revolutus, viridis.

Stamina longitudine faucis, capillaria, basi incrassata, pubescentia. *Antherae* luteae.

Capsula ovata, acutiuscula: *valvulis* bifidis.

Semina fusca, angulata, rugosa.

Habitat in *Limae*, *Chancay* et *Huanuci* versuris.

Floret toto anno.

Vulgo Tabaco Cimarron, id est, *Nicotiana silvestris.*

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum. 4 Capsula aperta. 5 Semina.

NICOTIANA glutinosa.

3. N. foliis cordatis acutis, floribus racemosis secundis, corollis subringentibus acutis.

Nicotiana (*glutinosa*) foliis petiolatis cordatis integerrimis, floribus racemosis secundis subringentibus. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 503.*

Planta herbacea, glutinosa.

Habitat in petrosis locis *Limae* et *Chancay.*

Floret Junio, et Julio.

Vulgo Tabaco Cimarron, id est, *Nicotiana silvestris.*

NICOTIANA tomentosa. Icon. CXXIX. *Fig. a.*

4. N. foliis lanceolatis decurrentibus subtus tomentosis, paniculâ maximâ diffusâ, corollis subringentibus acutis.

Planta suffruticosa, triorgyalis, parum viscosa.

Caulis erectus, supernè ramosus, subteres.

Rami patentes, leviter angulati.

Folia sparsa, valde decurrentia, lanceolata, acuta, integerrima, subtus tomentosa, incana, supra pubescentia; venis purpureis.

Panicula terminalis, maxima, patens, hirsuta, viscosa.

Calyx subaequalis.

Corolla subringens, glabra, purpureo-rubra. *Tubus* angustissimus, curvatus, calyce paulò longior. *Faux* ampliata. *Limbus* campanulatus, patens: *laciniis* acutis.

Stamina exserta, incurvata, uti etiam Stylus.

Capsula ovata, calyce semitecta.

Semina fusca, minima, angulata, rugosa.

Habitat in ruderatis et arvis *Muña* ad *Rinconada* tractum.

Floret Junio, Julio et Augusto.

Vulgo Tabaco Cimarron, id est, *Nicotiana silvestris.*

NICOTIANA undulata. Icon. CXXX. *Fig. b.*

5. N. foliis lanceolatis petiolatis undulatis, racemis terminalibus, calyce bilabiato, corollis brevibus acutis.

Planta tripedalis, pubescens, viscosa, annua.

Radix ramosa, fibrillosa, albicans.

Caulis erectus, angulatus, supernè ramosus.

Rami consimiles.

Folia alterna, petiolata, lanceolata, acutiuscula, undulata, integerrima, venosa.

Pedunculi axillares, breves, solitarii, uniflori, in racemum simplicem, foliosum, erectum, terminalem.

Calyx tubuloso-campanulatus, bilabiatus, quinquedentatus: *denticulo supremo* longissimo, obtuso.

Corolla lutea. *Tubus* longitudine calycis. *Limbus* brevis, acutus.

Capsula calyce brevior, ovata.

Semina nigra, angulata, rugosa.

Habitat in frigidis locis *Tarmae* versùs *Bombom* tractus, inter *Huariaca* et *Cerro de Yauricocha* vicos.

Floret Januario, et Februario.

Vulgo Tabaco Cimarron de Punas.

Explic. Icon. 3 Calyx. 1 Corolla cum staminibus. 2 Stamina tubo corollae inserta. 3 Pistillum. 4 Capsula aperta. 5 Semina.

NICOTIANA angustifolia. Icon. CXXX. *Fig. a.*

6. N. foliis lanceolatis, superioribus linearibus acutis, paniculâ diffusâ, corollis angustissimis, limbo plicato.

Planta herbacea, viscosissima, annua.

Radix fusiformis, tenuis, fibrillosa, alba.

Caulis erectus, supernè ramosus, teres, paniculatus.
Rami longi, teretes.
Folia alterna, integerrima; *inferiora* petiolata, lanceolata, acutissima; *superiora* subsessilia, linearia, acuta.
Flores terminales, paniculato-racemosi, diffusi.
Pedicelli axillares terminalesque, breves.
Calycis *Laciniae* lanceolato-lineares, inaequales.
Corollae *Limbus* plicatus, albus. *Tubus* calyce triplò longior, viridis.
Habitat in *Conceptionis Chile* versuris.
Floret Februario, et Martio.
Vulgo: *Tabaco Cimarron*, id est, *Nicotiana silvestris*.
Explic. Icon. 1 Stamina tubo corollae inserta. 2 Pistillum. 3 Semina.

GILIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 25. Icon. IV.

GILIA laciniata. Icon. CXXIII. *Fig. b.*

1. G. foliis pinnatifido-laciniatis, floribus capitatis.
Planta herbacea, pedalis, pubescens, annua.
Radix fibrosa, tenuis, albidiuscula.
Caulis erectus, teres, parum divisus.
Rami erecto-patuli, teretes, simplices.
Folia alterna, subsessilia, pinnatifido-laciniata; *laciniis* linearibus, integerrimis.
Flores terminales, plures, sessiles, capitati.
Corolla purpurea.
Habitat in *Peruviae* collibus arenosis *Limae*, *Arnedo*, *Huaura*, et *Huassahuassi*.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce. 7 Eadem à calyce libera. 8 Capsula transversim secta. 9 Eadem aperta. 10 Semina.

PHLOX. Linn. *Gen. pl. pag.* 115.

PHLOX biflora.

1. P. foliis lineari-lanceolatis; inferioribus oppositis; superioribus alternis, pedunculis axillaribus geminis.
Planta herbacea, pedalis, pubescens, annua.
Radix ramoso-fibrosa, albicans.
Caulis erectus, teres, supernè divisus.
Rami consimiles, breves.
Folia lineari-lanceolata, sessilia, integerrima, marginibus retrorsum scabra, avenia: *inferiora* opposita, per quatuor ad novem oppositiones; *superiora* alterna.
Flores ex divisionibus caulis et ex axillis superiorum foliorum, bini, pedunculati.
Calyx quinquepartitus, decemangulatus.
Corolla purpureo-caerulea, hypocrateriformis. *Tubus* calyce quadruplò longior. *Limbus* patens.
Stamina inclusa, inaequalia, imae parti tubi corollae inserta.

Capsula trilocularis, trisperma.
Habitat in *Regni Chilensis* aridis et arenosis locis ad *Rere*, *Colliumo* et *Conceptionis* tractus.
Floret Octobri, et Novembri.

PERIPHRAGMOS. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 26. Icon. IV. *Cantua.* Jussieu *Gen. pl. pag.* 136.

PERIPHRAGMOS flexuosus. Icon. CXXXI.

1. P. foliis lanceolatis acuminatis, floribus corymbosis.
Frutex triorgyalis, frondosus.
Caulis erectus, teres, ramosissimus.
Rami consimiles: *terminales* erecti; *intermedii* patentes; *inferiores* reflexi; *teneri* pubescentes.
Folia sparsa, breviter petiolata, lanceolata oblongaque, cum acumine parvo, supra nitida, subtus pubescentia; *primaria* et *aliqua juniora* è medio ad apicem serrata; *seniora* integerrima.
Flores terminales et ex axillis superioribus, corymbosi.
Corymbi multiflori, planiusculi.
Pedicelli bracteolis subulatis, deciduis suffulti.
Calyces striati, ad curvaturam atri.
Corolla alba, curvata, calyce triplò longior.
Filamenta supernè tenuissima, corollâ duplò longiora, flexuosa.
Capsula lutescens, rudimento styli acuminata.
Habitat in *Peruviae* versuris ad *Huanucum*, *Huariaca* et *Muña* tractus.
Floret à Majo ad Augustum.
Vernacule in *Huariaca* nominatur *Turu*.
Vires et usus. Cum substantia mucosa saponacea, quam folia in aqua manibus compressa emittunt, vestimenta Indi eluunt. *Sapor* foliorum acidulus et amariusculus percipitur. *Folia* masticata colore luteo elegantissimo salivam imbuunt: quapropter ad lintea tingenda tam folia, quam lignum adhiberi posse censemus.
Explic. Icon. 1 Corolla cum staminibus scissa. 2 Pistillum cum corpore glanduloso. 3 Capsula cum calyce. 4 Eadem aperta. 5 Semina.

PERIPHRAGMOS foetidus. Icon. CXXXII.

2. P. foliis lanceolatis glabris, pedunculis subtrifloris.
Frutex orgyalis, foetidus.
Caulis erectus, ramosus.
Rami teretes, erecti.
Folia conferta, sessilia, lanceolata oblongaque, integerrima, glabra, supra nitida, secunda, versus meridiem spectantia.
Pedunculus unicus ex singulo ramulo gemmaceo, terminalis, bi-triflorus, geniculatus, à geniculo usque ad calycem rugosus.
Calyx violaceo-nigrescens.
Flores secundi contra solem, nutantes.
Corolla pallida; laciniis *Limbi* lanceolatis, acutis, exte-

rius subviolaceis ; *Faux* villis clausa.
Filamenta corollâ longiora.
Stigma capitatum, obsoletè bifidum.
Capsula bilocularis, aliquando trilocularis, dependens.
Habitat in locis umbrosis et ruderatis propè *Conceptionis Chile* urbem ad *Carcamo* tractus.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Vernacule Guevillguevill nuncupatur.
Vires et usus. Ad sanguinis ardores mitigandos Indi clysteres et decoctum usurpant. Febri tabificae *Congo* aut *Chavalongo*, et Dysenteriae decoctum aut infusum opitulatur. *Sapor* foliorum amarus et acidulus est. *Lignum* et *Folia* masticata luteum colorem praebent, et ad lintea imbuenda inserviunt.
Explic. Icon. 1 Pistillum. 2 Capsula cum calyce aperta. 3 Semina.

PERIPHRAGMOS dependens. Icon. CXXXIII.

3. P. foliis obovatis acuminatis aveniis, ramis dependentibus, floribus corymbosis.
Frutex triorgyalis, in flore speciosus.
Caulis erectus, teres, undique ramosissimus.
Rami conferti, penduli, teretes, supernè foliosi, lutescentes : *teneri* pubescentes.
Folia sparsa, subsessilia, obovata, oblongo-obovataque, integerrima cum acumine minimo, obsoletè venosa, subcoriacea, nitidiuscula, patentia : *tenuiora* leviter pubescentia.
Flores terminales, 3-9, corymbosi, penduli.
Calyces hirsuti, parum incurvi, oblongo-ovati, pentagoni, decemstriati, altero latere purpurascentes.
Corolla purpurea, calyce triplò longior. *Tubus* incurvus, ad basim luteus.
Stamina purpurea, corollae longitudine, uncinata, duo reliquis breviora.
Stylus purpureus. *Stigmata* tria, purpurea.
Capsula incurva, calyce duplò longior.
Semina nigra, alâ membranaceâ, albâ cincta.
Habitat in *Peruviae* versuris, et circuitu *Chaclla*, *Cantae* et *Tarmae*.
Floret per totum ferè annum.
Vernacule Ccantu nuncupatur.
Usus. Sapor foliorum praecedentibus amarior. *Lignum* et *Folia* masticata luteo colore salivam tingunt, ideoque ad lintea inficienda utilia existimamus.
Obs. Ex eo, quod ad vicos tantum, aut in eorum ruderatis hi Frutices passim inveniuntur, probabiliter inferri potest Indos Ethnicos aliquem ex eisdem usum factitasse; quamquam in praesens nullum alium sciamus fieri praeter eum, quem flores ad templorum cultum praestant, et ornatum in diebus festis. Proditum quoque est à Societatis Jesu Sacerdotibus, veteres Indos hunc Fruticem *Arborem magicam* nuncupavisse, quod nostram de ejusdem usu suspicionem quodammodo roborat.

Explic. Icon. 1 Stamina. 2 Semina.

PERIPHRAGMOS uniflorus.

4. P. foliis obovatis integris : nonnullis 2-5fido-dentatis, floribus solitariis.
Cantua (*ovata*). Cavan. *Icon. vol. 4. p. 43. n. 401. tab. 363.*
Frutex triulnaris, floris tempore pulcher.
Caulis erectus, infernè teres, supernè angulatus, cicatriculis foliorum scaber, undique ramosissimus.
Rami patentes angulati : *teneri* nutantes, foliosi.
Folia tria ad duodecim ex eodem puncto, subsessilia, secunda, obovata oblongaque cum parvo acumine, integerrima, glabra : *nonnulla* bi, tri, quadri, aut quinquefida, praesertim illa solitaria, sparsa, petiolata, surculorum inferiorum.
Pedunculi ex apicibus gemmarum, solitarii, uniflori.
Flores cernui.
Corollae *Tubus* longissimus, purpureus : *Limbus* violaceus, quinquepartitus : *laciniis* profunde emarginatis.
Stamina exserta, purpureo-violacea. *Antherae* versatiles, violaceae.
Stylus purpureo-violaceus, staminibus paulò longior. *Stigmata* tria, acuta.
Capsula fulvo-purpurascens, calyce dimidio longior.
Semina fusca, alâ albidâ cincta.
Habitat in *Peruviae* septis per *Huarochirí*, *Tarmae* et *Cantae* Provincias.
Floret Majo, Junio et Julio.
Vernacule Ccantuttica, id est *Ccantu* Flos.

ECHITES. Linn. *Gen. pl. pag.* 164.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* parvum, quinquepartitum ; *laciniis* ovato-lanceolatis, acutis, erectis ; inferum, persistens.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* pentagonus, striatus. *Faux* dilatata, ad staminum insertionem dense villosa. *Limbus* quinquepartitus, patentissimus ; *laciniis* lateraliter obliquis, sibi margine invicem incumbentibus.
Nectarium duplex, persistens : *exterius* inter calycem et corollam receptaculo insertum, membranaceum, quinquepartitum : *laciniis* laceris : *interius* glandulis quinque, germen ambientibus.
Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, brevia, villosa, fauci corollae inserta. *Antherae* erectae, sagittate, rigidae, stigmati agglutinatae.
Pist. *Germina* duo. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* oblongum, bilobum, basi orbiculari setis quinque coronatae insidens.
Per. *Folliculi* duo, longi, teretes, apice subulato, connexi, uniloculares, univalves.
Sem. plurima, imbricata, lineari-oblonga, pappo longo multiseto coronata.

ECHITES ACUMINATA. Icon. CXXXIV. *Fig. a.*

1. E. foliis ovatis oblongisque acuminatis basi glandulis quinque, racemis brevibus, pedicellis geminis.

Planta fruticosa, volubilis, glabra.

Caulis longissimus, valde ramosus, teres.

Rami consimiles, filiformes.

Folia breviter petiolata, oblonga ovataque, acuminata, integerrima, basi aliquando parum excavata, supra nitida, glandulis quinque ad basim; *lateralibus duabus* acutis, minoribus, linearibus; *tribus intermediis* imbricatis, cordatis, concavis.

Stipulae interfoliaceae, truncatae, utrinque denticulo notatae.

Racemi axillares, breves, octo, decemflori.

Flores gemini, pedicellati.

Pedicelli contorti, bracteolis minimis, trifidis suffulti, purpurei.

Corolla alba, extus purpurascens.

Folliculi subulati, nitidi, tripalmares et ultra.

Semina fusca, lineari-oblonga.

Pappus fulvus, longus.

Habitat in silvis *Chinchao* ad *Macora* praedium.

Floret Junio, et Julio.

Explic. Icon. 1 Pistillum cum glandulis germen ambientibus, et cum staminibus stigmati agglutinatis. 2 Glandulae. 3 Stamina segregata. 4 Pistillum. 5 Semen.

ECHITES GLANDULOSA. Icon. CXXXV.

2. E. foliis tomentosis cordatis acuminatis, articulationibus petiolis cordaturisque glanduliferis, pedunculis racemosis.

Planta fruticosa, volubilis, tomentosa.

Caulis teres, ramosus, ad articulationes glandulifer.

Rami longi, filiformes.

Folia petiolata, cordato-subrotunda, acuminata, cordato-ovataque, acuta, integerrima, rugosa, venosissima, subtus canescentia, venis purpureis: ad cordaturam et per petiolos glandulifera.

Stipulae interfoliaceae, plures, glandulaeformes.

Glandulae *Stipulae*que subulatae, nigrae, deciduae.

Pedunculi axillares, longi, racemosi, multiflori.

Pedicelli reflexi, uniflori, bracteolis ovatis, caducis stipati.

Corolla lutea, magna.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* tractus.

Floret Septembri, et Octobri.

Explic. Icon. 1 Tubus corollae cum staminibus agglutinatis. 2 Pistillum cum glandulis. 3 Nectarium exterius auctum. 4 Idem interius auctum.

ECHITES LAXA. Icon. CXXXIV. *Fig. b.*

3. E. foliis cordatis acutis, basi multiglandulosis, pedunculis longis laxis paucifloris.

Planta volubilis, fruticosa, parum villosa.

Caulis longissimus, angulatus, glaber, saepe granulosus ramosus.

Rami filiformes, leviter villosi, obsoletè angulati.

Folia opposita, cordata, acuta, subtus nervosa, nervis inferioribus ad basim villosam coeuntibus, reliquis alternis incurvis, glandulis pluribus subulatis in cordatura.

Petioli bipollicares, stipulis connati.

Stipulae interfoliaceae, multidentatae.

Racemi axillares, solitarii, simplices, laxi, pauciflori, longi.

Pedicelli uniflori, bracteolâ subulatâ sustentati.

Corolla lutea, magna.

Habitat in *Pillao* nemoribus versus *Chacahuassi* tractum.

Floret Septembri, et Octobri.

Explic. Icon. 1 Tubus corollae scissus calyci insidens. 2 Idem Nectaria, Pistillum et Stamina agglutinata exhibens. 3 Nectarium interius. 4 Pistillum.

ECHITES SUBSAGITTATA.

4. E. foliis oblongo-subsagittatis acuminatis, angulis posticis obtusis, pedunculis paucifloris.

Planta volubilis, suffruticosa, glabra.

Caulis filiformis, ramosus, granulosus, purpurascens, teres.

Rami graciles, consimiles.

Folia opposita, breviter petiolata, oblongo-subsagittata, acuminata, angulis posticis obtusis, marginibus ciliatis, basi glandulosis.

Petioli pubescentes.

Stipulae plures, interfoliaceae, glandulaeformes, parvae, oblongae.

Pedunculi axillares, solitarii, breves, pauciflori.

Pedicelli bracteolâ minimâ, deciduâ stipati.

Calyx acutus.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Cuchero* vicum.

Floret Julio, et Augusto.

ECHITES HIRSUTA. Icon. CXXXVI.

5. E. foliis oblongo-ovalibus acuminatis basi excavatis, racemis multifloris.

Planta fruticosa, volubilis, hirsuta.

Caulis ramosus, contortus, striatus.

Rami consimiles.

Folia opposita, oblongo-ovalia, acuminata, subtus densè villosa, ad basim excavata, unâ alterâve glandulâ oblongâ, acuminatâ praedita.

Petioli teretes, subpollicares, striati, curvati.

Racemi axillares, solitarii, simplices, folio longiores.

Pedicelli uniflori, bracteolâ lanceolatâ, acuminatâ, deciduâ stipati.

Calyx in flore acutus, in fructu obtusus.

Corolla lutea.

Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *S. Antonii de Playa grande*, et *Chicoplaya* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa, stamina agglutina-

BIBLIOTECA UNIVERSIDAD DE SEVILLA

ta ostendens. 3 Pistillum cum glandulis intra basim calycis. 4 Semen. 5 Folliculus hians cum calyce. 6 Semen villis pappi coalitis.

PLUMIERIA. Linn. *Gen. plant. pag.* 164.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* minimum, quinquefidum: *laciniis* subrotundis, obtusis, inferum, deciduum.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* longus, quinquestriatus, parum curvatus. *Faux* ampliata. *Limbus* erecto-patens, campanulatus, quinquepartitus: *laciniis* oblongis, obliquis, marginibus sibi invicem incumbentibus.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, brevissima, è curvatura tubi orta. *Antherae* subulatae, conniventes, inclusae.

Pist. *Germen* ovatum, bifidum. *Stylus* vix ullus. *Stigma* bipartitum: *laciniis* oblongis, obtusis.

Peric. *Folliculi* duo, oblongo-subcylindrici, acuminati, ventricosi, extrorsum flexi, nutantes, uniloculares, univalves.

Sem. plura, imbricata, oblonga, compressa, infernè alâ membranaceâ, ovatâ, magnâ, crenato-dentatâ aucta, receptaculo centrali, lineari, anguloso inserta.

PLUMIERIA purpurea. Icon. CXXXVII.

1. P. foliis oblongo-ovatis, marginibus revolutis, corollis rubris.

Arbor quadriorgyalis, lactifera.

Truncus erectus, teres, medullosus, crassus, subfungosus: *comâ* frondosâ, subglobosâ.

Rami dichotomi, fragiles, tortuosi, teretes, petiolorum vestigiis cicatricati.

Folia sparsa, oblongo-ovata, integerrima, marginibus parum revolutis, venoso-reticulata; venis majoribus horizontalibus, parum inflexis.

Petioli biglandulosi, pollicares et ultra.

Pedunculi striati, rubri, umbellato-cymosi, multiflori.

Pedicelli gemini, inaequales, uniflori; bracteolis parvis, ovatis, caducis sustentati.

Calyx minimus, quinquecrenatus, ruber.

Corolla quam in reliquis Speciebus minor, fragrantissima, purpureo-rubicunda; fauce leviter lutescente.

Folliculi spithamaei, fusco-lutescentes.

Semina pallescentia.

Habitat in *Peruviae* hortis, affatim ad *Cercado*, *Chancay* et *Huanuci* Provincias.

Floret Januario, et Februario.

Vernacule Sucheçani, id est, *Suche morado.*

Usus: Flores valdè fragrantes. Peruvianae corollis crines frequenter ornant, et ad *Mixturam* adhibent.

Obs. 1. Plumieria floribus et foliis vestitae arbores formosissimas constituunt. In hortis et praediis ad maris littora, et Peruviae vallibus calidis ferè toto anno florent: cum verò folia omnia demiserunt, veluti siccae apparent. Flores paucis diebus antequam folia, erumpunt; sed brevi ramorum extremitates tot folia et flores exhibent, ut densam umbram praebeant. Duobus etiam annis post arbores sectas taleae earum terrae mandatae radices agunt et facillimè pullulant: unde nomen *Suche*, quod illis in Peruvia indigitatur et lenonem lingua *Quichoa* significat. Peruvianae floribus caput exornant ambaris odore antea imbutis, corollarum lacinias in parvorum infundibulorum formam revolventes.

Obs. 2. Plumieriae nostrae praesertim inter se differunt colore et magnitudine florum, et quamquam nec color, nec magnitudo mutat Speciem, nobis satius visum est illas seorsim describere.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Stamina tubo corollae affixa. 3 Pistillum. 4 Folliculus clausus et apertus. 5 Semina.

PLUMIERIA incarnata. Icon. CXXXVIII.

2. P. foliis ovato-oblongis acutis, corollis incarnatis, disco fulvo.

Arbor quadriorgyalis, lactifera.

Truncus erectus, teres, medullosus, comâ hemisphaericâ, frondosâ terminatus.

Rami dichotomi, tortuosi, fragiles, vestigiis petiolorum notati.

Folia sparsa, ovato-oblonga, acuta, integerrima, venosissima, venis horizontalibus incurvatis.

Petioli semipollicares, basi incrassati.

Pedunculi terminales, laeves, multiflori.

Flores cymoso-umbellati, gemini, breviter pedicellati, bracteolis parvis, acutis, ovatis, caducis stipati.

Calyx quinquedentatus, ruber.

Corolla magna, incarnata, in centro fulva.

Folliculi spithamaei, fusci.

Semina fusca, alâ fulvescenti.

Habitat in *Peruviae* hortis, ad *Huanuci*, *Cercado* et *Chancay* Provincias.

Floret Januario, et Februario.

Vernacule Puca-Suche, id est, *Suche encarnado.*

Obs. Nimis affinis *Plumieriae carinatae.*

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Stamina tubo corollae affixa. 3 Pistillum. 4 Folliculus. 5 Semina.

PLUMIERIA tricolor. Icon. CXXXIX.

3. P. foliis oblongis acutis acuminatisque, marginibus planis, corollis tricoloribus.

Arbor sexorgyalis, lactifera.

Truncus erectus, teres, cinereus; comâ magnâ, subglobosâ.

Rami dichotomi, tortuosi, fragiles, medullosi, crassi, petiolorum vestigiis cicatriculati.

Folia sparsa, oblonga, utrinque acuta, integerrima, marginibus planis, venoso-reticulata; venis majoribus horizontalibus, vix incurvis, rubris.

Petioli ad basim internam glandulis duabus connexis.

Pedunculi striati, rubicundi, pubescentes, umbellato-cymosi, multiflori.

Pedicelli gemini, uniflori, bracteolâ ovatâ, concavâ, caducâ suffulti.
Calyx rubicundus, quinquecrenatus, pubescens.
Corolla odoratissima, pollicaris. *Tubus* rectus, ruber. *Faux* crocei coloris. *Limbus* patens, intus albo-roseus, extus dimidiato ruber et albus.
Folliculi spithamaei, fusci.
Semina fusco-pallescentia.
Habitat in *Peruviae* hortis ad *Cercado*, *Chancay* et *Huanuci* Provincias.
Floret à Januario ad Martium.
Vernacule Yuracppaco Suche, id est, *Suche blanco-rosado.*
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Stamina tubo corollae inserta. 3 Pistillum. 4 Folliculus clausus et apertus. 5 Semen.

PLUMIERIA carinata.

4. P. foliis oblongo-ovatis acuminatis carinatis, marginibus planis rubris, corollis magnis tricoloribus.
Arbor quinqueorgyalis, lactifera.
Truncus erectus, teres, medullosus, comâ frondosâ, subrotundâ terminatus, cortice crasso, carnoso vestitus.
Rami dichotomi, fragiles, tortuosi, consimiles, cicatricibus petiolorum oculati.
Folia sparsa, oblongo-ovata, acuminata, carinata, marginibus planis rubris, venoso-reticulata: venis majoribus incurvis ad margines in fornicis formam connexis, per basim hirsutis.
Petioli pollicares, glandulis tribus prope basim.
Pedunculi striati, rubri, umbellato-cymosi, multiflori.
Pedicelli gemini, uniflori, bracteolis ovatis, deciduis stipati.
Calyx minimus, ruber.
Corolla magna, in centro lutea, extus ad medium alba, supernè rubescens.
Folliculi magni, rubro-fusci.
Semina ferruginei coloris.
Habitat passim in *Peruviae* hortis, per *Cercado*, *Chancay*, et *Huanuci* Provincias.
Floret Januario, et Februario.
Vernacule Suche Turumbaco, et *Ccarhuasppaco Suche*, id est, *Suche amarillo-rosado.*

PLUMIERIA bicolor. Icon. CXLI.

5. P. foliis oblongis acuminatis, marginibus planis, corollâ albo-luteâ.
Arbor quinqueorgyalis, lactifera.
Truncus erectus, teres, cinereus; *comâ* subrotundâ, magnâ.
Rami dichotomi, crassi, medullosi.
Folia sparsa, in summitatibus ramulorum, oblonga, acuminata, petiolata, integerrima, plana, venosissima.
Petioli basi biglandulosi.
Pedunculi terminales, striati, glabri, multiflori.
Pedicelli bracteolis ovatis, deciduis suffulti.
Flores corymboso-umbellati, gemini.
Calyx viridis, quinquecrenatus.
Corolla magna, albo-lutescens. *Tubus* curvatus, *Faux* intensè lutea. *Limbus* albo-lacteus.
Folliculi bipalmares et ultra, rubro-fusci.
Semina fusca, alâ longâ, albicanti.
Habitat in *Peruviae* hortis, ad *Cercado*, *Chancay* et *Huanuci* Provincias.
Floret à Decembri ad Martium.
Vernacule Yuraccarhuas Suche, id est, *Suche blanco-amarillo.*
Explic. Icon. 1 Folliculus clausus et apertus. 2 Semina.

PLUMIERIA lutea. Icon. CXLII.

6. P. foliis oblongo-obovatis acuminatis, corollâ luteo-albâ.
Arbor decemulnaris, lactifera.
Truncus erectus, teres, medullosus, petiolorum vestigiis cicatricatus; comâ frondosissimâ, subglobosâ.
Rami consimiles, dichotomi, fragiles.
Folia sparsa, in summitatibus ramorum, oblongo-obovata, integerrima, plana, venoso-reticulata; venis majoribus incurvatis.
Petioli biglandulosi, pollicares.
Pedunculi terminales, striati, glabri, umbellato-corymbosi, multiflori, longi, virescentes.
Pedicelli gemini, uniflori, bracteolis ovatis, deciduis stipati.
Calyx leviter ruber, quinquecrenatus, minimus.
Corolla magna, fragrans. *Tubus* curvatus, brevis, lutescens. *Limbus* luteo-albus, erecto-patulus.
Folliculi tripalmares, luteo-fusci.
Semina luteo-fusca, alâ albidâ.
Habitat in *Peruviae* hortis, ad *Cercado*, *Chancay* et *Huanuci* Provincias.
Floret Januario, Februario et Martio.
Vernacule Ccarhuas Suche, id est, *Suche amarillo.*
Explic. Icon. 1 Folliculus apertus et clausus. 2 Semen.

TABERNAEMONTANA. Linn. *Gen. plant. pag.* 165.

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* minimum, ovatum, quinquefidum; *laciniis* ovatis, obtusis; inferum, deciduum.
Cor. hypocrateriformis. *Tubus* longus, angulato-striatus, basi subglobosus. *Limbus* quinquepartitus, planus: *laciniis* obliquis, obovato-oblongis, concavis.
Nectarium: *Glandulae* quinque, minimae, germen circumstantes.
Stam. *Filamenta* quinque, brevissima, è medio tubi. *Antherae* conniventes, sagittatae.
Pist. *Germina* duo, pedicellata, connexa. *Stylus* filiformis, bisulcus, longitudine tubi. *Stigma* oblongiusculum, brevi margine circumdatum, bifidum: *laciniis* adpressis.
Per. *Folliculi* duo, divergentes, reflexi, oblongi, acuminati, ventricosi, uniloculares, univalves.
Sem. numerosa, obovato-oblonga, gibba, obtusa, striato-

rugosa, receptaculo carnoso, per suturam decurrente, quadruplici serie imbricata, nidulantia.

TABERNAEMONTANA ARCUATA. Icon. CXLIII.

1. T. foliis oblongo-obovatis acuminatis, corymbis ternis multifloris, folliculis revoluto-arcuatis.

Arbor trigintaulnaris et ultra, lactifera, glaberrima.

Truncus rectus, cortice cinereo-pallescenti vestitus; comâ frondosissimâ terminatus.

Rami terminales, dichotomi, leviter compressiusculi, pallidi: *tenuiores* virides.

Folia opposita, petiolata, oblongo-obovata, nonnulla oblongo-lanceolata, integerrima, acuminata, patentia, bitripalmaria, plana.

Petioli subcontorti, breves.

Corymbi terni, breves, multiflori.

Pedicelli bracteis ovatis, acutis, minimis stipati.

Corolla albo-lutescens.

Folliculi palmares, crassi, oblongo-reniformes, acuminati, extus arcuati, rubescentes.

Semina rubra, oblongo-obovata, pulpae sanguineae immersa, striato-rugosa, receptaculo per suturam decurrenti inserta.

Habitat copiosè in *Peruviae* nemoribus ad *Pozuzo* vicum.

Floret Novembri, et Decembri.

Obs. Ex hac arbore undelibet vulneratâ copiosus et lacteus succus fluit, qui aëri expositus in gummi-resinam fuscam condensatur.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Stamina tubo corollae inserta. 4 Nectarium. 5 Pistillum. 6 Folliculi aperti. 7 Semen extus visum. 8 Idem intus conspectum.

TABERNAEMONTANA SANANHO. Icon. CXLIV.

2. T. foliis oblongis acuminatis, corymbis bi-quadrifidis, fructibus obovato-subrotundis acuminatis.

Arbor triorgyalis, glaberrima.

Truncus erectus, comâ frondosâ terminatus.

Rami oppositi, teretes, pallescentes: *teneri* virides, parum compressi.

Folia opposita, breviter petiolata, tripalmaria, oblonga, nonnulla oblongo-obovata, integerrima, parum undulato-repanda, acuminata, utrinque glabra, nitida, leviter venosa; dorso elevato, acuto.

Petioli teretes, supernè obtusè tetragoni, basi incrassati.

Pedunculi axillares, teretes, breves, corymbosi, 2-3-4fidi, decem vigintiflori.

Flores pedicellati, bracteolâ cordato-subrotundâ suffulti.

Corolla albo-lutescens. *Tubus* longissimus, angulato-striatus.

Folliculi duo, obovato-subrotundi, obtusè digoni, acuminati, pulposi, extus pallescentes, uniloculares, polyspermi, Mali Armeniaci magnitudine.

Semina fusca, striata.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *S. Antonii de Playa grande* vicum.

Floret Augusto, et Septembri.

Vernacule Sananho nuncupatur.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Folliculi transversim secti dimidia pars cum seminibus. 6 Semina.

LAUGERIA. Linn. *Gen. plant. pag.* 140.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* minimum, quinquedentatum, acutum, superum, persistens.

Cor. hypocrateriformis. *Tubus* longissimus, rectus, cylindricus. *Limbus* quinquepartitus, planus: *laciniis* ovatis, fimbriatis, plicatis.

Stam. *Filamenta* quinque, brevissima, infra faucem inserta. *Antherae* lineares, basi bifidae, inclusae.

Pist. *Germen* oblongum, coronatum margine parvo, circulari. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, obsoletè pentagonum.

Per. *Drupa* oblonga, umbilicata, calyce coronata.

Sem. *Nux* oblonga, pentagona, quinquelocularis. *Nuclei* oblongi.

LAUGERIA HIRSUTA. Icon. CXLV. *Fig. a.*

1. L. foliis oblongis acutis, spicis longis multifloris revolutis, bracteis magnis, fructibus pentagonis.

Arbor trigintaulnaris.

Truncus erectus, rectus, satis crassus, fusco-cinereus: *comâ* frondosâ terminatus.

Rami *seniores* subteretes, glabri, cinereo-fusci: *teneri* tetragono-compressi, foliosi, hirsuti, lutescentes.

Folia opposita, petiolata, oblonga, acuta, integerrima, subtus pubescentia, venosissima, rugosa, supra per venas hirsuta.

Petioli semiteretes, utplurimum sesquipollicares, pubescentes.

Stipulae magnae, interfoliaceae, ultra petiolos oppositae, purpurascentes, ovato-lanceolatae, acutae, erectae, marginibus retroflexis.

Pedunculi supraxillares, solitarii, furcati dichotomique, longitudine ferè petiolorum, spicati.

Spicae conjugatae, multiflorae, revolutae, longae.

Flores sessiles, secundi, bracteâ ovatâ, subpurpureâ, persistenti, calycis longitudine.

Calyx purpurascens, quinquedentatus, acutus.

Corolla alba.

Drupae pisi magnitudine, hirsutae, subrotundae, calyce coronatae.

Nux quinquelocularis, pentagona, calyce coronata.

Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *Cuchero* et *Chinchao* vicos.

Floret Julio, Augusto et Septembri.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Drupa. 6 Eadem per medium secta. 7 Nux. 8 Eadem transversim secta, loculamenta ostendens. 9 Nuclei.

LAUGERIA DEPENDENS. ICON. CXLV. *Fig. b.*

2. L. foliis ovatis acutis, spicis brevibus paucifloris dependentibus, bracteis minimis, fructibus trigonis.

ARBOR sexorgyalis.

TRUNCUS erectus, teres, cinereus, ramosissimus.

RAMI *adultiores* glaberrimi, cinerei, fasciis nigrescentibus maculati, subteretes: *juniores* foliosi, obsoletè tetragoni, pubescentes, ferruginei coloris.

FOLIA opposita, approximata, decussata, ovata, acuta, integerrima, subtus pubescentia, ferruginea, venosissima, supra nitidiuscula, per venas pubescentia.

PETIOLI breves, semiteretes, utplurimum pollicares.

STIPULAE interfoliaceae, supraxillares, semiamplexicaules, petiolis demidio breviores, ovato-lanceolatae, acutissimae, extrosum conduplicatae, adpressae, purpurascentes, deciduae, pubescentes.

PEDUNCULI supraxillares, solitarii, furcati, longitudine ferè petiolorum, spicati.

SPICAE conjugatae, breves, novemflorae, patentissimae, tandem dependentes, rectae.

FLORES sessiles, secundi, bracteâ minimâ, vix conspicuâ, caducâ stipati.

CALYX minimus, quinquedentatus, obtusus.

COROLLAE *Tubus* purpurascens. *Limbus* albus, fimbriatus.

DRUPAE parvae, oblongae, calyce coronatae.

NUX trilocularis, trigona, rarius bilocularis, saepe quadrilocularis.

HABITAT in *Peruviae* nemoribus circa *Muña* vicum.

FLORET Augusto, et Septembri.

VARRONIA. LINN. *Gen. pl. pag.* 140.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Perianthium* tubuloso-campanulatum, quinquedentatum: *denticulis* acutis, erectis; inferum, persistens.

COR. tubulosa, cylindrica, calyce paulò longior; *ore* patenti, crenato-plicato.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, medio corollae inserta, basi villosa, longitudine corollae. *Antherae* oblongae, erectae, biloculares.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, erectus, staminibus brevior, dichotomus. *Stigmata* quatuor, oblonga, patentia.

PER. *Drupa* ovata, unilocularis, monosperma.

SEM. *Nux* ovata, unilocularis. *Nucleus* ejusdem figurae.

Obs. Differt à Charactere generico *Varroniae* Linnaei, nuce uniloculari monospermâ.

VARRONIA CRENATA. ICON. CXLVI. *Fig. b.*

1. V. foliis ovato-subrotundis obtusis crenatis rugosis, pedunculis lateralibus, floribus capitatis.

FRUTEX orgyalis, globosus (*Lantanae* habitu).

CAULIS erectus, ramosissimus, patulus, teres, fuscus.

RAMI confertissimi, tortuosi, teretes, fusci, nudi: *tenuiores* foliosi, hirsuti, fusco-purpurei.

FOLIA alterna, breviter petiolata, ovata subrotundaque crenata, obtusa, rugosa, venosissima, subtus vix canescentia, utrinque hirsuta, supra aspera.

PEDUNCULI laterales, foliis longiores, solitarii, erecti, biquadrifidi, hirsuti.

FLORES sessiles, in capitulum subglobosum, multiflorum collecti.

CALYCES intus albidi, extus atri, pubescentes.

COROLLA alba, plicata, calyce paulò longior.

STIGMATA quatuor, oblonga.

DRUPA rubra, ovata, unilocularis, calyce seminvoluta.

NUX unilocularis, ovata, rarius bilocularis.

HABITAT in aridis petrosis et argillosis locis *Huanuci.*

FLORET à Novembri ad Februarium.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Drupa cum calyce. 7 Nux. 8 Eadem transversim secta aucta. 9 Nucleus.

VARRONIA DICHOTOMA. ICON. CXLVI. *Fig. a.*

2. V. foliis ovato-lanceolatis acutis acuminatisque supernè serratis, pedunculis umbellato-spicatis.

FRUTEX biulnaris, parum scaber.

CAULIS erectus, teres, ramosissimus.

RAMI expansi, subteretes: *teneri* obsoletè angulati.

FOLIA alterna suboppositaque, breviter petiolata, ovato-lanceolata, acuta acuminataque, integerrima, nonnulla è medio ad apicem serrata, supra retrorsum scabra.

PEDUNCULI axillares terminalesque, umbellato-spicati, erecti, longitudine ferè foliorum.

FLORES in spicas breves, paucifloras.

CALYX quinquedentatus, corollâ dimidio brevior.

COROLLA alba.

STIGMATA quatuor, patula.

DRUPA coccinea, ovata, calyce seminvoluta.

NUX unilocularis.

HABITAT copiosè in *Peruviae* ruderatis et petrosis locis ad *Chacahuassi* tractum.

FLORET à Novembri ad Martium.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Drupa. 7 Nux. 8 Eadem transversim secta, aucta. 9 Nucleus.

VARRONIA CYLINDRISTACHYA. ICON. CXLVII. *Fig. a. macrostachyae nomine.*

3. V. foliis ovatis acutis densè serratis rugosis, spicis longis supraxillaribus terminalibusque.

FRUTEX biorgyalis, erectus, ramosissimus, hirsutus.

RAMI erecti, teretes: *juniores* angulati, striatique.

FOLIA alterna, breviter petiolata, ovata, acuta, densè serrata, rugosa, supra aspera, venosissima.

PETIOLI breves, leviter sulcati.

PEDUNCULI supraxillares terminalesque, spicati.

SPICAE longae, cylindricae, terminales, bifidae trifidaeque.

Flores numerosi, conferti.
Calyx luteo-virescens.
Corolla alba, glabra.
Stylus dichotomus.
Drupa calyce involuta, alba.
Nux unilocularis, rarius bilocularis.
Habitat in *Peruviae* sepibus versus *Huassahuassi*, *Acomayo*, *Valle* et *Pati* tractus.
Floret Decembri, Januario et Februario.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Drupa cum calyce. 6 Eadem à calyce libera. 7 Nux. 8 Eadem transversim secta. 9 Nucleus.

VARRONIA obliqua. Icon. CXLVII. *Fig. b.*

4. V. foliis ovatis acutis obliquis obtusè serratis, pedunculis rameis, spicis oblongis.
Frutex biulnaris, erectus, ramosus.
Rami teretes, glabri: *teneri* subangulati, leviter pubescentes.
Folia alterna suboppositaque, ovata, acuta, obtusè serrata, supra retrorsum aspera, rugosiuscula.
Pedunculi ramei, solitarii, folio breviores, spicati.
Spicae pollicares, cylindricae.
Flores numerosi, densi, sessiles.
Calyx quinquedentatus: denticulis acutis.
Corolla alba.
Stylus dichotomus. *Stigmata* divergentia.
Habitat in *Peruviae* praeruptis versus *Tarmae* et *Acobamba* tractus.
Floret Decembri, et Januario.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Drupa cum calyce. 6 Eadem à calyce libera. 7 Nux. 8 Eadem per medium secta. 9 Nucleus.

CORDIA. Linn. *Gen. pl. pag.* 139.

CORDIA rotundifolia. Icon. CXLVIII. *Fig. a.*

1. C. foliis subrotundis ovalibusque crenatis scabris, pedunculis corymboso-dichotomis.
Prunus sebestena. Pluk. *Almag. pag. 306. phyt. tab. 217. f. 2.*
Frutex biorgyalis.
Caulis erectus, saepè procumbens, valdè ramosus, teres.
Rami longissimi, lenti, flexuosi; *juniores* hirsuti.
Folia alterna, breviter petiolata, venosissima, rugosa, hispidula, scabra, subrotunda, crenata.
Corymbi terminales, dichotomi, decem-duodecimflori.
Flores sessiles, magni, lutei.
Calyx tubulosus, striatus, quinquedentatus: *denticulis* acutis; inferus, persistens.
Corolla magna, infundibuliformis. *Tubus* calycis longitudine, erectus. *Faux* dilatata, patens. *Limbus* 5fidus, plicatus; *laciniis* ovatis, acutis.
Filamenta quinque, subulata, erecta, tubo corollae affixa, basi villosa. *Antherae* ovato-oblongae, concavae.
Germen ovatum, acuminatum. *Stylus* filiformis, bifidus, staminum longitudine. *Stigmata* duo, bifida.
Drupa alba, ovata, acuminata, unilocularis, ciceris magnitudine, calyce semi-involuta, pulpâ viscosâ.
Nux ovata, acuminata, quinquesulcata, bilocularis. *Nuclei* oblongi.
Obs. Corollae Limbus aliquando 6-7-8fidus, quorum numerum sequitur staminum, et nucis sulcorum numerus.
Habitat passim in versuris et arenosis locis *Limae*, *Huaura*, *Surco*, *Miraflores*, *Magdalena* et *Lurin.*
Floret Majo, Junio et Julio.
Vernacule Tina et *Membrillejo.*
Vires et usus. Decoctum ad icterum oculorumque fluxiones levandas usurpatur.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Stamina tubo corollae affixa. 3 Pistillum. 4 Drupa. 5 Nux. 6 Eadem transversim secta. 7 Nuclei.

TOURNEFORTIA. Linn. *Gen. plant. pag.* 104.

TOURNEFORTIA volubilis. Icon. CXLVIII. *Fig. b.*

1. T. foliis ovatis acuminatis glabris, petiolis reflexis, pedunculis corymboso-dichotomis, caule scandente.
Tournefortia (*volubilis*) foliis ovatis acuminatis glabris, petiolis reflexis, caule volubili. Linn. *Sp. pl. pag. 405.*
Bryonia nigra, fruticosa, racemi ramulis variè implicatis. Sloan. *Hist. 1. pag. 234. t. 143. f. 2.*
Planta fruticosa, scandens, glabra.
Caulis ramosissimus, teres, cinereus.
Rami consimiles: *juniores* foliosi, angulosi, virides.
Folia alterna, nonnulla subopposita, breviter petiolata, ovata, acuminata, integerrima, subrepanda, crassiuscula, aliquando basi parum excavata.
Pedunculi terminales, corymboso-dichotomi, subpaniculati.
Flores spicati, subsessiles, secundi.
Spicae incurvae, divergentes.
Corolla luteo-viridis; *limbo* plicato.
Bacca nigra, tetrasperma.
Semina obovata, bilocularia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *Pozuzo* vicum.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Bacca cum calyce. 6 Baccae dimidia pars per medium secta cum calyce. 7 Semina. 8 Semen transversim sectum loculamenta ostendens.

TOURNEFORTIA polystachya. Icon. CXLIX. *Fig. a.*

2. T. foliis ovatis acutis rugosis hirsutis, pedunculis termi-

nalibus corymboso-dichotomis.
PLANTA fruticosa, biorgyalis, hirsuta, leviter canescens.
CAULIS erectus, ramosissimus, infernè teres.
RAMI angulosi, compressiusculi: *teneri* canescentes.
FOLIA alterna, nonnulla opposita, petiolata, ovata, acuta, integerrima, venosissima, rugosa.
PETIOLI utplurimum pollicares.
CORYMBI terminales lateralesque, dichotomi, polystachyi.
SPICAE secundae, laxae, recurvae, multiflorae.
FLORES alterni, sessiles.
COROLLA alba, intus glabra. *Tubus* calyce longior, virescens.
BACCAE albae, tetraspermae.
SEMINA unilocularia.
HABITAT in *Peruviae* praeruptis ad *Huassahuassi* et *Cheuchin* vicos.
FLORET Decembri, Januario et Februario.
VERNACULE Antaccra.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Bacca. 6 Semina.

TOURNEFORTIA UNDULATA. ICON. CXLIX. *Fig. b.*

3. T. foliis oblongo-lanceolatis acutis lineatis rugosis, pedunculis corymboso-dichotomis polystachyis.
PLANTA fruticosa, biorgyalis, leviter pubescens.
CAULIS erectus, ramosus, teres.
RAMI consimiles: *tenerrimi* angulati, pubescentes.
FOLIA breviter petiolata, sparsa, nonnulla opposita, oblongo-lanceolata, integerrima, undulata, venosissima, leviter pubescentia, lineata, rugosa, coriacea.
PEDUNCULI terminales lateralesque, corymboso-dichotomi, polystachyi.
SPICAE breves, recurvae, multiflorae.
FLORES secundi, sessiles, alternatim bifariam digesti.
CALYCES tubi corollae longitudine: *laciniis* subulatis.
COROLLA alba, extus pubescens.
STYLUS persistens.
BACCA alba, bilocularis, disperma, umbilicata.
SEMINA ossea, bilocularia, basi bicornia.
HABITAT in Provinciae *Camanae* collibus ad *Lomas de Atiquipa*, undè Tafalla iconem et descriptionem nobiscum communicavit.
FLORET Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Pistillum. 4 Corolla scissa cum staminibus. 5 Bacca. 6 Semina. 7 Semen longitudinaliter sectum, nucleos ostendens.

TOURNEFORTIA LONGIFOLIA. ICON. CL. *Fig. b.*

4. T. foliis oblongo-lanceolatis obliquis venosissimis rugosis margine parum revoluto, pedunculis corymbosis.
PLANTA fruticosa (*Symphyti majoris* habitu) glabra.
CAULIS erectus, ramosus.
RAMI angulati, sulcati.
FOLIA alterna, breviter petiolata, subpedalia, oblongo-lanceolata, obliqua, rugosa, integerrima, venosissima, marginibus parum revolutis.
CORYMBI terminales, patentes.
SPICAE pauciflorae.
BACCA tetrasperma.
SEMINA trigona.
HABITAT in *Peruviae* nemoribus ad *Pozuzo* sepes.
FLORET Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Bacca cum calyce. 2 Semina coalita. 3 Eadem disjuncta. 4 Semen transversim sectum, nucleum ostendens.

TOURNEFORTIA VIRGATA. ICON. CL. *Fig. a.*

5. T. foliis ovato-oblongis subundulatis hispidulis, pedunculis terminalibus subdichotomis.
PLANTA suffruticosa, hispidiuscula.
CAULIS erectus, ramosus, infernè teres.
RAMI angulosi, virgati.
FOLIA alterna, ternatim approximata, breviter petiolata, ovato-oblonga, subacuminata, undulata, integerrima, venosa, rugosiuscula.
CORYMBI terminales, paucis spicis.
SPICAE revolutae.
FLORES secundi, conferti.
COROLLA alba.
HABITAT in *Peruviae* nemoribus in *Huassahuassi* circuitu.
FLORET Decembri, et Januario.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum.

TOURNEFORTIA ANGUSTIFLORA. Ic. CLI. *Fig. a.*

6. T. foliis ovatis obliquo acumine, pedunculis bifurcatis, corollis angustis.
PLANTA suffruticosa, sesquiulnaris, glabra.
CAULIS erectus, ramosus.
RAMI angulosi.
FOLIA alterna, petiolata, ovata, basi inaequalia, acumine obliquo, integerrima, venosissima.
PEDUNCULI terminales, aliquando axillares, furcati bifurcatique, spicati.
SPICAE conjugatae, bipollicares, parum reflexae.
FLORES secundi, alternatim bifariam digesti, breviter pedicellati.
CALYX minimus, quinquepartitus.
COROLLA alba, longissima, extus leviter pubescens. *Tubus* basi inflatus. *Limbus* patenti-reflexus.
FILAMENTA brevissima, ultra dilatationem tubi corollae inserta. *Antherae* lineares, acutae.
STIGMA subsessile.
BACCA globosa, alba, umbilicata, disperma.
HABITAT in *Peruviae* nemoribus ad *Chicoplaya* et *Pueblo nuevo*, ubi Joannes Tafalla delineavit et descripsit.
FLORET Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum germine aucto.

3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum magnitudine naturali. 6 Bacca. 7 Baccae dimidia pars cum seminibus. 8 Semen longitudinaliter scissum nuclei loculum ostendens.

VALLESIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 28. Icon. V.

VALLESIA DICHOTOMA. Icon. CLI. *Fig. b.*

1. V. foliis ovatis acutis undulatis, racemis dichotomis.
Frutex triulnaris, glaber.
Caulis erectus, ramosus.
Rami teretes, flexuosi, erecti.
Folia alterna, breviter petiolata, ovata, integerrima, nitida, parum venosa.
Racemi terminales foliisque oppositi, dichotomi.
Flores breviter pedicellati.
Corolla alba, tubo virescente.
Drupae duae, divergentes, albae.
Habitat in *Peruviae* ruderatis ad *Icae* Provinciam, undè Tafalla iconem et descriptionem nobiscum communicavit.
Floret Octobri, et Novembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla cum staminibus fissa. 3 Stamen. 4 Pistillum cum calyce. 5 Idem absque calyce. 6 Drupae coalitae. 7 Nux.
Obs. In Regio Hort. Matrit. laete in caldario vegetat *Vallesia cymbaefolia* Orteg. *Decad. V. pag. 58*, quam Cavanill. in suo Opere Icon. et Descript. *vol. 3. pag. 50. tab. 297.* sub nomine *Rauwolfiae glabrae* inseruit.

RAUWOLFIA. Linn. *Gen. plant. pag.* 160.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* parvum, tubuloso-campanulatum, quinquedentatum; inferum, persistens.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* basi globosus. *Limbus* planus, villosus, quinquepartitus: *laciniis* subrotundis, integris, marginibus revolutis.
Stam. *Filamenta* quinque, infra faucem corollae inserta, filiformia, brevia. *Antherae* erectae, ovatae, acutae, faucem corollae claudentes.
Pist. *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, staminum longitudine. *Stigma* capitatum, emarginatum.
Per. *Drupa* globoso-turbinata, bisulca, unilocularis, disperma.
Sem. *Nuces duae*, obovatae, intus concavae, extus convexae, biloculares. *Nuclei* ejusdem figurae.
Obs. Flores *R. macrophyllae* in loco natali saepè tetrandri reperiuntur. *R. flexuosa* in hortis culta tetrandros flores saepius profert.

RAUWOLFIA FLEXUOSA. Icon. CLII. *Fig. a.*

1. R. foliis oblongis obovatisque angustis, racemis flexuosis paucifloris.
Frutex biorgyalis, ramosissimus, spinosus.
Caulis erectus, ramosissimus, teres.
Rami erecto-patuli, tetragoni.
Folia breviter petiolata, opposita, oblonga obovataque, obtusa, integerrima, aliquando emarginata, supra glabra, rugosa, nitida, subtus pubescentia venosissima.
Spinae axillares, brachiatae: *seniores* ramosae, foliiferae.
Racemi breves, è punctis gemmaceis prodeuntes, flexuosi, septem-novemflori.
Flores parvi, odore suavissimo, praecipue sub meridiem.
Corolla albo-lutea, *Limbus* et *Faux* villosa.
Drupa nigro-purpurascentia, pisi magnitudine.
Semina duo, obovata, extus convexa, bilocularia.
Habitat in *Peruviae* fruticetis ad *Huanuci* urbem, in Provincia *Huamalies* ad *Quivilla*, et prope *Huariaca, Tarmae* Provinciae vicum. Colitur in Hort. Reg. Matrit. è seminibus à nobis missis.
Floret Novembri, et Decembri.
Vernacule Turucasa, id est, *Spina obtusa.*
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus fissa. 4 Pistillum. 5 Drupa cum calyce. 6 Nux extus visa. 7 Eadem intus aspecta. 8 Nux transversim secta loculamenta ostendens.

RAUWOLFIA MACROPHYLLA. Icon. CLII. *Fig. b.*

2. R. foliis obovatis ovatisque emarginatis integerrimisque, racemis erectis multifloris.
Frutex biorgyalis, spinosus.
Caulis erectus, ramosissimus, teres.
Rami obtusè tetragoni, brachiati, helvoli coloris, granulis adspersi.
Folia opposita, breviter petiolata, obovata ovataque, obtusa, emarginata, nonnulla integerrima, supra nitida, subtus pubescentia, venosissima, rugosa, coriacea, patentia.
Petioli pubescentes.
Spinae oppositae, horizontales, teretes, acutae, rigidae; *seniores* foliiferae, et floriferae.
Pedunculi axillares, inter spinas et folia, multiflori.
Flores breviter pedicellati.
Calyx pentagonus, pubescens; in fructu quadruplò major, expansus, obtusus.
Drupa nigra, bilocularis, disperma.
Corolla lutescens, calyce duplò longior, fauce villosâ.
Semina bilocularia, ovata, intus concava.
Obs. Stamina saepè quatuor.
Habitat in *Peruviae* collibus arenosis, versus *Atiquipa* tractus, ubi Tafalla eam observavit et delineavit.
Floret Julio, et Augusto.
Vernacule Chama et *Spino de cruzes* dicitur.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum in receptaculo. 5 Drupa cum calyce. 6 Nux intus conspecta. 7 Eadem extus visa. 8 Nucis dimidia pars loculamenta ostendens.

CERBERA. Linn. *Gen. plantar. pag.* 162.

CERBERA thevetia. Icon. CLIII. *Fig. b.*

1. C. foliis lineari-lanceolatis confertis longis, pedunculis brevissimis paucifloris.

Cerbera (*thevetia*) foliis linearibus longissimis confertis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 591.*

Ahouai nerii folio, flore luteo. Plum. *Spec. 20. ic. 18.*

Frutex biorgyalis, lactifer, glaber.

Caulis simplex, erectus, supernè ramosus, frondosus.

Rami erecto-patuli, teretes, infernè nudi, granulis et cicatriculis foliorum adspersi, viridi-glauci.

Folia sparsa, patentia, subsessilia, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, subtus avenia, supra venosiuscula, nitida, sesquipalmaria, marginibus parum reflexis.

Setae plures, breves, ex singulis foliorum axillis.

Pedunculi ramei et ex ramusculorum divisionibus, suboctoflori, breves.

Pedicelli teretes, bracteolis subulatis suffulti.

Calyx campanulatus, quinquepartitus; *laciniis* ovato-lanceolatis, inflexis; inferus, persistens.

Corolla infundibuliformis, maxima, lutea. *Tubus* virescens, calyce triplò longior, rectus, subpentagonus. *Faux* clausa. *Limbus* campanulato-patens, quinquepartitus: *laciniis* subcuneiformibus, obliquis, truncatis, lateribus sibi invicem imbricatis: *os tubi* villosum, denticulis quinque, subulatis antheras obtegentibus.

Nectarium anulare, germen ambiens, quinquecrenatum, longitudine germinis.

Denticuli quinque, ad basim staminum, villosi.

Filamenta quinque, brevissima: inter denticulos superiores et inferiores tubo corollae inserta. *Antherae* triangulares, acuminatae, biloculares, utrinque dehiscentes.

Germen obtusè tetragonum, depressiusculum. *Stylus* filiformis, compressus. *Stigma* capitatum, acuminatum, denticulis viginti recurvis, duplici ordine digestis, ornatum, denticulis et antheris incarceratum.

Drupa subrhombea, obtusè subtetragona, apice latior, sulcis duobus in crucis formam exarata, unilocularis, evonymiformis, pyri parvi magnitudine, viridi-lutea.

Nux triangularis, fulvescens, compressiuscula, apice latior, sulco longitudinali et transversali exarata, quadriloculares. *Nuclei* ferè orbiculati, compressi, acuminati.

Obs. Nuclei 2 saepius ad maturitatem perveniunt, reliqui abortiunt, et tunc nux biloculares.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Pampamarca* tractum. Colitur in *Limae* hortis, et in Reg. Hort. Matrit. è seminibus á nobis missis.

Floret in *Peruvia* Februario, et Martio.

Vulgo Arbol de Panamá in urbe *Lima* dicitur.

Usus: E fructibus, *Cascabeles* nuncupatis, Indi reticulas longas conficiunt, quas in choreis strepitûs causa ad collum et genua appendunt.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Stamina fauci inserta. 3 Pistillum cum nectario et denticulis. 4 Drupa. 5 Nux clausa. 6 Eadem aperta. 7 Nuclei.

CESTRUM. Linn. *Gen. plantar. pag.* 136.

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* tubulosum, parvum, quinquedentatum: *denticulis* ovatis, erectis: inferum, persistens.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* longissimus, tenuis, cylindricus. *Faux* subrotunda. *Limbus* planus, plicatus, quinquefidus: *laciniis* ovatis, acutis, aequalibus, marginatis.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, ultra medium tubi inserta, deorsum decurrentia. *Antherae* incumbentes, parvae, tetragonae, biloculares, intra faucem.

Pist. *Germen* ovatum, longitudine ferè calycis. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, depressum, obsoletè emarginatum.

Per. *Bacca* oblongo-ovata, bilocularis, intus exsucca.

Sem. pauca, libera, angulata, truncata.

Obs. 1. Calyx in nonnullis Speciebus obtusè pentagonus, in aliis teres; denticulis plus minusve profundis. *Filamenta* in *Cestro undulato* denticulo ad basim notata, in reliquis edentula, basi incrassata. *Bacca* in plerisque Speciebus oblonga, in aliis ovata, in nonnullis obovata.

Obs. 2. Cestri Genus differt à Lycii Genere; *Tubo* corollae tenuissimo; *Fauce* subrotunda; *Limbo* plicato; *laciniis* marginatis; *Antheris* incumbentibus, tetragonis; *Stigmate* depresso; *Baccâ* intus exsuccâ; *Seminibus* paucis, magnis, angulatis, truncatis.

Habitus.

Frutices ramosissimi, foetidi. *Caules* teretes, saepè granulosi. *Rami* erecti, aut diffusi. *Folia* alterna, aut sparsa, breviter petiolata, exstipulata, integerrima. *Pedunculi* axillares terminalesque, multiflori. *Flores* sessiles, aut breviter pedicellati, bracteis totidem stipati. *Corollae* lutescentes, limbo extus purpurascente. *Baccae* atro-purpureae.

CESTRUM virgatum.

1. C. foliis lanceolatis acutis, ramis floriferis paniculatis, pedunculis corymboso-racemosis.

Cestrum (*parqui*) filamentis denticulatis nudisve, caule florifero paniculato, stipulis linearibus. L'herit. *Stirp. nov. fasc. 4. pag. 73. tab. 36.*

Parqui Fewill. *Per. Obs. tom. 3. pag. 52. pl. 32. fig. 1.*

Frutex orgyalis, foetidissimus.

Caulis erectus, infernè ramosissimus, teres, dilutè fuscus, saepe granulosus, glaberrimus.

Rami virgati, consimiles, supernè paniculati: *teneri* virides.

Folia alterna, petiolata, patentia, lanceolata, acuta, integerrima, undulata, glabra, parum venosa.

Petioli breves, supernè plani.

Gemmae axillares, foliiferae.

Pedunculi axillares terminalesque, in paniculae formam, corymboso-racemosi, leviter tomentosi, bracteis lanceolato-linearibus stipati.

Flores subsessiles sessilesque.

Calyx quinquedentatus, extus leviter tomentosus, intus supernè pubescens, apice atro-purpureus.

Corolla lutea, calyce triplò major. *Limbus* extus purpurascens; *laciniis* margine tomentoso involutis.

Filamenta edentula, medio tubi affixa, basi curvata, incrassata pubescentiaque. *Antherae* tetragonae, biloculares, incumbentes.

Stigma capitatum, umbilicatum, viride, depressum.

Bacca ovata, atro-purpurea.

Semina saepè octo, oblonga, angulata, fusca.

Habitat passim in *Conceptionis Chile* circuitu.

Floret Februario, et Martio.

Vernacule Palqui et *Parqui.*

Vires et usus: Infusum et decoctum ad febres malignas Incolae adhibent. Boves, qui hac plantâ pascuntur, intumescunt et pereunt.

Obs. L'Heritier folia ramulorum inferiora stipulam perperam appellavit, idemque Filamenta denticulata nudave descripsit: nos autem in loco natali filamenta edentula ad basim tantum tumida et villosa offendimus.

CESTRUM auriculatum. Icon. CLV. *Fig. a.*

2. C. foliis ovatis oblongo-lanceolatisque, auriculis obliquè cordatis, ramis floriferis divergentibus, pedunculis corymboso-paniculatis.

Cestrum (*auriculatum*) filamentis edentatis, stipulis lunatis. L'Herit. *Stirp. nov. fasc. 4. p. 71. tab. 35.*

Hediunda jasminiano flore. Fewill. *Per. Obs. tom. 3. p. 25. pl. 20. fig. 3.*

Frutex biorgyalis, foetidissimus, glaber.

Caulis erectus, infernè ramosissimus, fusco-cinereus, saepè lividus.

Rami teretes, erecti, granulosi, virgati.

Folia alterna, petiolata, reflexa, ovata oblongo-lanceolataque, acuta, carinata, integerrima.

Auriculae axillares, cordatae, obliquae, deciduae; *inferiores* magnae.

Pedunculi axillares, rarius terminales, solitarii, corymboso-paniculati, utplurimum quatuordecimflori, erecti, filiformes.

Flores breviter pedicellati sessilesque, bracteolis linearisubulatis, deciduis stipati.

Calyx brevissimus, quinquedentatus, acutus, erectus, pubescens.

Corolla lutescens atro-purpurascensque, extus villosiuscula.

Filamenta edentula.

Bacca atro-purpurea, ovata, internè exsucca.

Semina tria in singulo loculo, angulata, truncata.

Habitat in *Peruviae* versuris, ruderatis et sepibus, passim ad *Cercado*, *Chancay*, *Cantae* et *Huanuci* Provincias.

Floret toto anno.

Vulgo: *Yerba Hedionda* et *Yerba Santa.*

Vires et usus: Ab Incolis eximium refrigerans et emolliens remedium reputatur, ad ulcera detergenda decoctum inservit: in *Congo* et *Chavalongo* morborum malignitate afflictis infusum propinatur.

Obs. L'Heritierus, cujus iconem *Cestri auriculati* incompletam offendimus, descripsit folia oblongo-lanceolata, stipulas lunulatas, et pedunculos terminales et ex axillis superioribus tantum prodeuntes. Nos quidem in loco natali folia juniora oblongo-lanceolata, seniora et superiora ovata, acuta; folia duo inferiora obliqua, cordata, ramusculorum sive gemmarum, quae auriculas diximus, utpote quae nullatenus sunt stipulae; et tandem pedunculos ex axillis superioribus et inferioribus ortos, aliquando terminales observavimus.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Bacca. 4 Eadem transversim secta, loculamenta ostendens. 5 Semina.

CESTRUM undulatum. Icon. CLV. *Fig. b.*

3. C. foliis ovatis acutis undulatis, pedunculis axillaribus terminalibusque gracilibus paucifloris.

Frutex triorgyalis, glaber, foetidus.

Caulis erectus, ramosus, teres, granulosus.

Rami patentes, consimiles, longi, virgati, tenues.

Folia sparsa, breviter petiolata, reflexa, subcarinata, ovata, acuta, integerrima, undulata, nitida.

Petioli inflexi.

Pedunculi axillares terminalesque, solitarii, filiformes, suboctoflori; in flore folio breviores, in fructu saepè foliorum longitudine.

Flores breviter pedicellati, bracteolis linearibus, deciduis suffulti.

Calyx corollâ triplò brevior.

Corolla lutescens; limbo pubescente.

Filamenta basi denticulum introrsum emittentia. *Antherae* tetragonae, parvae.

Bacca violacea, obovata, bilocularis, intus exsucca.

Semina sex, angulata, truncata, fusca, libera.

Habitat in *Peruviae* versuris, ruderatis et sepibus, copiosè ad *Huanuci* urbem.

Floret toto anno.

Vernacule Miu et *Yerba Hedionda.*

Vires: ut in praecedenti.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta, loculamenta ostendens. 7 Semina.

CESTRUM longiflorum. Icon. CLIV. *Fig. a.*

4. C. foliis ovato-oblongis acutis, pedunculis terminalibus paniculato-racemosis, corollis longissimis.

Frutex biorgyalis.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami consimiles, nitidi; *teneri* pubescentes.
Folia alterna, breviter petiolata, ovato-oblonga, integerrima, supra nitidissima, venosa, bipalmaria; *juniora* leviter lanuginosa.
Petioli subcontorti.
Pedunculi terminales, lanigeri, paniculato-racemosi, foliosi: *partiales* axillares, quatuor-sexflori.
Flores breviter pedicellati, bracteolis solitariis, lanceolatis sustentati.
Calyx lanuginosus, quinquedentatus, denticulis parvis.
Corolla longissima, sesquipollicaris, purpurascens. *Tubus* curvatus, glaber. *Limbus* marginibus extus lanatus.
Bacca obscurè purpurea, obovata, magna, bilocularis.
Semina numerosa, angulata, parva.
Habitat in *Peruviae* nemoribus, ad *Chinchao*, *Macora* et *Cuchero* runcationes.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Corolla cum staminibus fissa. 2 Pistillum. 3 Baccae dimidia pars loculamenta ostendens. 4 Semina.

CESTRUM racemosum. Icon. CLIV. *Fig. b.*

5. C. foliis lanceolato-ovatis acutis, racemis brevibus compositis 1-3nisque, intermedio productiori.
Frutex triorgyalis, glaberrimus, foetidus.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami consimiles, longi.
Folia alterna, petiolata, subhorizontalia, lanceolato-ovata, acuta, integerrima, venosa, supra nitida, bipalmaria.
Petioli subcontorti, breves.
Pedunculi axillares, solitarii, bini ternique, racemosi; *intermedio* productiori.
Calyx minimus.
Bacca subglobosa, violacea, bilocularis, tetrasperma, parvi pisi magnitudine.
Semina oblonga, fusca.
Habitat in *Peruviae* nemoribus, per *Chinchao* et *Macora* runcationes.
Floret Majo, Junio et Julio.
Vulgo: *Yerba Hedionda* appellatur.
Explic. Icon. 1 Bacca per medium secta, loculamenta ostendens. 2 Semina.

CESTRUM confertum. Icon. CLIII. *Fig. a.*

6. C. foliis ovato-ovalibus acuminatis coriaceis confertissimis, floribus axillaribus congestis sessilibus.
Frutex biorgyalis, subinodorus.
Caulis erectus, supernè ramosissimus, teres, fuscus.
Rami diffusi, longissimi, subteretes, dilutè fusci, aliquando granulosi, glabri.
Folia sparsa, conferta, breviter petiolata, omnia sursum spectantia, ovato-ovalia, acuminata, integerrima, coriacea, utrinque glabra, supra nitida, marginibus leviter revolutis, nervo supra prominulo, venosa: venis utrinque elevatis.
Petioli subcontorti, supra canaliculati, atri, axillis lanuginosis.
Flores axillares, congesti, sessiles, bracteis totidem suffulti.
Bracteae ovales, concavae, extus lanuginosae, ferrugineae.
Calyx viridi-ater, ore ciliatus.
Corolla lutescens, calyce quadruplò longior. *Limbus* extus ater, marginibus leviter tomentosis.
Filamenta edentula.
Baccae atro-purpureae, pisi magnitudine.
Habitat in *Peruviae* silvis, ad *Panao*, *Chaclla* et *Muña* vicos.
Floret à Julio ad Novembrem.
Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus.

CESTRUM conglomeratum. Icon. CLVI. *Fig. a.*

7. C. foliis lanceolatis acutis, floribus axillaribus numerosissimis sessilibus triglomeratis.
Frutex biorgyalis, graveolens, glaber, nitidus.
Caulis erectus, ramosissimus, teres.
Rami patentes, teretes.
Folia alterna, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, venosa, patentia.
Flores numerosi, axillares, in tres globulos aggregati, sessiles, bracteis linearibus lanuginosis distincti.
Calyces apice hirsuti purpureique.
Corolla lutea, laciniis extus purpurascentibus.
Filamenta edentula.
Stigma concavum.
Obs. Flores nonnulli limbum 6fidum 7fidumque proferunt, cujus laciniarum numerum sequitur staminum numerus.
Habitat in *Peruviae* praeruptis, et altis frigidis locis *Huanuci* et *Panao*, versùs *Tambillo* tractum.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Pistillum. 4 Stamina tubo corollae inserta.

CESTRUM strigilatum. Icon. CLVI. *Fig. b.*

8. C. foliis cordatis acutis, pedunculis geminis racemoso-paniculatis altero breviori.
Frutex biorgyalis, lanugine brevi strigiliformi respersus.
Caulis ramosissimus, erectus, teres.
Rami subpatentes, teretes, caule magis pulverulenti.
Folia alterna, breviter petiolata, dependentia, cordata, acuta, cum brevi acumine, integerrima, supra glabra.
Pedunculi axillares, gemini, paniculato-racemosi, altero breviori.
Flores subsessiles, bracteolis minimis suffulti.
Calyx corollâ quadruplò brevior.
Corolla luteo-viridis. *Tubus* curvatus.
Filamenta edentula.
Bacca obovata, truncata, obscure violacea.
Semina fusca.
Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *Pozuzo*, *Chinchao* et *Cuchero* vicos.
Floret à Junio ad Octobrem.

CESTRUM LANUGINOSUM. Icon. CLVII. *Fig. a.*

9. C. foliis ovatis subcordatisque, pedunculis subcorymbosis foliosis; partialibus 6floris, floribus sessilibus.

Frutex triulnaris, lanuginosus, lanugine helvolâ obductus.

Caulis erectus, ramosus, teres, infernè glaber, granulosus.

Rami subdependentes, teretes, longi; *teneri* valde lanuginosi.

Folia alterna, breviter petiolata, ovata, nonnulla subcordata, acuta, integerrima, subtus magis lanuginosa, submembranacea, venosissima.

Pedunculi axillares, foliis breviores, foliosi, subcorymbosi: *partiales* quinque-sexflori.

Flores sessiles, bracteolâ lanceolatâ suffulti.

Calyx lanuginosus, brevis, quinquedentatus.

Corolla luteo-virescens, glabra: limbo extus atro-purpurascente, tomentoso.

Filamena edentula, longitudine faucis corollae.

Bacca nigra, tri-quadrisperma.

Semina oblonga, intus plana, extus convexa, fusca.

Habitat in *Peruviae* collibus arenosis ad *Atiquipa* Provinciae *Camanae* vicum.

Floret Junio, Julio et Augusto.

STRYCHNOS. Linn. *Gen. pl. pag.* 135.

STRYCHNOS BRACHIATA. Icon. CLVII. *Fig. b.*

1. S. foliis oppositis ovatis oblongisque acuminatis quinquenervibus, caule brachiato tereti, floribus corymbosis.

Frutex ramosissimus, scandens, cirrhifer.

Caulis obsoletè angulatus, fusco-cinereus.

Rami longissimi, ramosi, brachiati, dependentes, granulosi, obtusè tetragoni.

Folia opposita, breviter petiolata, ovata, oblonga ovaliaque, acuminata, integerrima, quinquenervia, nervis lateralibus obsoletioribus, supra nitida, utrinque glabra, densè venosa, venis horizontalibus.

Petioli connati, subcontorti.

Cirrhi rarissimi, simplices, spirales, breves.

Pedunculi axillares terminalesque, solitarii, corymbosi, multiflori.

Pedicelli breves, bracteolâ lineari-subulatâ, deciduâ stipati.

Calyx minimus, pentaphyllus, hirsutus, deciduus.

Corolla alba, pentandra, extus hirsuta, calyce quadruplò longior.

Bacca magna, globosa, corticosa, fragilis, viridi-lutescens, dependens, unilocularis, pulpâ luteâ referta.

Semina suborbiculata, compressa, plerumque varie angulata, glabra, fulva, cornea, pellucida, crustâ fragili cinereâ tecta, nidulantia.

Habitat in *Peruviae* nemoribus imis versus *Pozuzo* vicum, et ad *Tramo* tractum.

Floret Octobri, et Novembri.

Vernacule Taruca-miccuna, id est, *Comida de Venados.*

Usus. Cervi semina vorant, undè nomen vernaculum.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus fissa. 5 Stamina aucta. 6 Pistillum. 7 Bacca per medium secta. 8 Semen.

CAPSICUM. Linn. *Gen. pl. pag.* 135.

CAPSICUM FRUTESCENS.

1. C. caule fruticoso scabriusculo, pedunculis solitariis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag.* 522.

Planta bipedalis, annua, glabra.

Caulis erectus, dichotomus, pentagonus, nodosus, angulis acutis scabriusculis, lineolis prominulis, viridioribus adspersus.

Rami tetragoni, consimiles.

Folia è latere singulae dichotomiae solitaria, ovata, acuta, deflexa, integerrima, basi inaequalia, apice obliquo, margine undulata, venosissima, nervo supra prominulo, longè petiolata.

Petioli incurvi, ad basim articulati, superius bisulci.

Pedunculi ex dichotomiis, solitarii, erecti, longitudine petiolorum, obsoletè tetragoni, supernè inferneque incrassati, versus basim articulati.

Calyx campanulatus, quinquedentatus.

Corolla alba, calyce duplò longior.

Bacca conica, parva, erecta, glabra, nitida, lutea.

Habitat copiosè in *Peruviae* cultis.

Floret ferè toto anno.

Vernacule Arnaucho, et *Aji Arnaucho.*

Usus. Fructus magni usus est in *Peruvia* ad cibos condiendos.

CAPSICUM PUBESCENS.

2. C. caule suffruticoso, foliis ovatis acutis apice obliquo, pedunculis angulatis, fructibus subrotundis nutantibus.

Planta suffruticosa, 4-5pedalis, pubescens.

Caulis erectus, angulatus, nodosus, dichotomus, lineolis adspersus, geniculis atro-purpureis.

Rami consimiles, patentissimi.

Folia è latere singulae dichotomiae, solitaria, ovata, acuta, apice obliquo, integerrima, venosissima, ferè bullata, nervo supernè prominulo.

Petioli incurvati, supra bisulci, breves, propè basim articulati.

Pedunculi è dichotomiis, solitarii, rarius gemini, uniflori, petiolis longiores, angulosi, supernè incrassati.

Corolla violacea, laciniis acutis.

Bacca subrotunda, depressiuscula, magnitudine mediocris Mali, crassa, valde mordicans, viridi-lutea.

Habitat affatim in *Peruviae* cultis, praesertim ad *Panatahuarum* Provinciam et in *Andium* nemoribus.

Floret per totum ferè annum.

Vernacule Roccoto nuncupatur.

Usus. Fructus quamvis valde mordicanti sapore praeditos,

in condimentis frequenter Incolae adhibent.

SOLANUM. Linn. *Gen. pl. pag.* 134.

SOLANUM calygnaphalum.

1. S. caule inermi fruticoso, foliis lanceolatis repandis, umbellis oppositifoliis tomentosis, baccis nutantibus.

Frutex biorgyalis.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami consimiles, patentes.
Folia alterna, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, repanda, glabra, nitida.
Pedunculi oppositifolii, tomentosi.
Flores umbellati, pedicellati.
Calyces tomentosi.
Corolla violacea, calyce triplò major.
Baccae nutantes, atro-rubrae, saponaceae, Avellanarum nucum magnitudine.
Habitat in *Peruviae* umbrosis et calidis locis ad *Tarmae* oppidum, et in *Acobamba* sepibus.
Floret Majo, et Junio.
Vernacule Ñuñunya dicitur.
Usus: Feminae fructibus aut baccis maturis faciem fucant.

SOLANUM crispum. Icon. CLVIII. *Fig. a.*

2. S. caule inermi fruticoso, foliis ovatis subcordatisque undulato-crispis acuminatis, floribus corymbosis.

Frutex subtriorgyalis, glaber, amarissimus.
Caulis solitarius, erectus, supernè ramosissimus, teres.
Rami patentes, flexuosi, teretes: *teneri* angulati.
Folia alterna, petiolata, ovata subcordataque, undulato-crispa, integerrima, supra nitida.
Petioli breves, supra leviter sulcati.
Pedunculi oppositifolii terminalesque, erecti.
Corymbi multiflori.
Corolla dilute violacea, calyce duplò major.
Bacca albo-lutescens, pisi magnitudine.
Habitat in *Chile* ruderatis, copiosè in *Conceptionis* urbis sepibus, et ad *Carcamo* et *Palomares* tractus.
Floret Septembri, et Octobri.
Vernacule Natre appellatur.
Vires et usus: Incolae decoctum, vel infusum ad febres inflammatorias *Congo* et *Chavalongo* dictas, in frequenti usu habent.
Explic. Icon. 1 Stamen. 2 Bacca transversim secta. 3 Semina.

SOLANUM lineatum. Icon. CLVIII. *Fig. b.*

3. S. caule inermi fruticoso, foliis geminis ovatis acuminatis lineatis subtus villosis, pedunculis interfoliaceis unifloris.

Planta fruticosa, biulnaris.
Caulis erectus, teres, glaber, ramosus.
Rami diffusi, flexuosi, teretes: *teneri* hirsuti, helvoli.
Folia gemina, altero duplò majori, breviter petiolata, ovata, acuminata, lineata, integerrima; *seniora* margine parum revoluta, subtus densè hirsuta, supra glabra; *juniora* utrinque hirsuta, plana.
Pedunculi interfoliacei, solitarii, uniflori, filiformes, supernè incrassati, hirsuti.
Calyx hirsutus, decemfidus; *laciniis* subulatis.
Corolla alba, longitudine calycis.
Bacca globosa, calyce incarcerata, fusca, ciceris magnitudine.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* vicum.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Stamen. 2 Capsula transversim secta loculamenta ostendens. 3 Semina.

SOLANUM filiforme. Icon. CLIX. *Fig. b.*

4. S. Caule inermi fruticoso, foliis ovatis cordatisque obtusis, pedunculis lateralibus filiformibus bifidis subumbellatis.

Planta fruticosa, pubescens, orgyalis, (habitu *Salviae*).
Caulis erectus, ramosus, teres, granulosus.
Rami patentes, granulosi; *juniores* hirsuti.
Folia alterna, petiolata, ovata cordataque, obtusa, integerrima, utrinque densè pubescentia, venosa.
Petioli longi, hirsuti, tenues.
Pedunculi laterales, filiformes, bifidi.
Flores subumbellati, cernui.
Calyx quinquefidus, pubescens.
Corolla albo-caerulea, calyce triplò major.
Habitat in *Peruviae* collibus ad *Lomas de Atiquipa*, undè Tafalla plantae nonnulla specimina exsiccata nobiscum communicavit.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum.

SOLANUM cymosum. Icon. CLX. *Fig. a.*

5. S. caule inermi herbaceo, foliis ovato-lanceolatis per petiolum decurrentibus, pedunculis rameis, floribus cymosis.

Planta herbacea, sesquipedalis, glabra, annua.
Caulis erectus, ramosus, angulatus.
Rami patentes, consimiles, parum flexuosi.
Folia alterna, petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, per petiolum decurrentia, plana, patentia.
Pedunculi ramei, solitarii, foliis breviores, leviter pubescentes.
Flores cymosi, parvi, breviter pedicellati, erecti; in fructu racemosi, secundi.
Calyx quinquefidus, acutus, minimus.
Corolla caerulescens, calyce duplò major, patens.
Baccae rubrae, dependentes, pisi parvi magnitudine.
Habitat in *Peruviae* cultis, versuris et subhumidis locis per *Limae* et *Chancay* Provincias.
Floret Majo, Junio et Julio.

SOLANUM NIGRUM.

6. S. (nigrum) caule inermi herbaceo, foliis ovatis dentato-angulatis, racemis distichis nutantibus. LINN. *Sp. pl. tom. 1. pag. 514.*

HABITAT copiosè in *Peruviano* et *Chilensi* Regno.

FLORET toto anno.

VULGO : *Yerba mora.*

Obs. In diversis locis mirum quàm variat.

SOLANUM BIFORMIFOLIUM. ICON. CLXI. *Fig. a.*

7. S. caule inermi suffruticoso flexuoso, foliis geminis oblongo-lanceolatis ; altero minimo orbiculato, pedunculis unifloris interfoliaceis.

PLANTA suffruticosa, orgyalis.

CAULIS erectus, teres, ramosus, fuscus.

RAMI flexuosi, angulosi, hispiduli.

FOLIA gemina, parum obliqua, integerrima, subtus per venas nervosque, supra per nervos tantum hispidula: *alterum* parvum, orbiculatum, basi excavatum, subsessile : *alterum* quadruplò majus, breviter petiolatum, lanceolatum, acuminatum, integerrimum.

PEDUNCULI interfoliacei, saepius bini, aliquando 3-4-5ni, uniflori, filiformes, hispidi, basi attenuati, erecto-incurvi.

CALYX decempartitus, hispidus : *laciniis* subulatis.

COROLLA purpureo-violacea, semiquinquefida, patens.

ANTHERAE luteae.

BACCA luteo-rubra, calyce incarcerata, pisi magnitudine.

SEMINA luteo-fusca.

HABITAT in *Peruviae* nemoribus ad *Chinchao* runcationes.

FLORET Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Stamen.

SOLANUM PHYLLANTHUM.

8. S. caule alato, foliis decurrentibus ovatis subtriangularibusque, racemis oppositifoliis, floribus pendulis.

SOLANUM (*phyllanthum*) caule herbaceo alato : foliis floriferis. CAVAN. *Ic. vol. 4. p. 35. tab. 359. f. 1.*

PLANTA bipedalis, herbacea, asperiuscula, annua.

RADIX ramosa, tenuis, fibrillosa, albida.

CAULIS erectus, subdichotomus, teres, alatus è decursu foliorum, ramosus.

RAMI patuli, consimiles.

FOLIA alterna, decurrentia ; *superiora* plerumque opposita; *alterum* longius, angustius, spathulatum, pedunculiferum : *reliqua* ovata subtriangulariaque, integerrima, dentata angulosaque.

PEDUNCULI oppositifolii, usque ad foliorum discum decurrentes, postea divergentes solitarii, ferè bipollicares, furcati.

FLORES alterni, longè pedicellati, racemoso-paniculati, secundi, nutantes.

CALYX quinquefidus ; *laciniis* linearibus, obtusis.

COROLLA albo-purpurea, aliquando albo-caerulea, calyce triplò major.

ANTHERAE oblongae, luteae.

BACCAE rotundae, dependentes, pisi magnitudine.

SEMINA lutescentia.

HABITAT affatim in *Limae*, *Chancay* et *Lurin* arenosis locis.

FLORET Majo, et Junio.

SOLANUM MONTANUM. ICON. CLX. *Fig. b.*

9. S. caule inermi herbaceo, radice tuberosa globosa, foliis ovatis integris laciniatisque, pedunculis 3-7floris.

SOLANUM (*montanum*) caule inermi herbaceo, foliis subcordatis repandis. LINN. *Sp. pl. tom. 1. p. 514.*

SOLANUM tuberosum minus, atriplicis folio, vulgò *Papa* montana. FEW. *Per. Obs. 3. p. 62 planch. 46.*

PLANTA herbacea, hispidiuscula, pedalis.

RADIX tuberosa, subrotunda, fibrillosa.

CAULIS erectus, ramosus, striato-angulatus.

RAMI alterni, supernè dichotomi.

FOLIA alterna, ovata, integra lobata laciniataque : *inferiora* longè petiolata ; *superiora* sessilia, saepè petiolata, nonnulla decurrentia.

PEDUNCULI oppositifolii terminalesque, longi, 3-7flori, infra medium folio unico saepius integro, sessili.

FLORES alterni, pedicellati, erecti.

CALYX quinquepartitus ; *laciniis* linearibus, obtusis.

COROLLA caerulea, calyce triplò major.

BACCAE flavescentes, pisi magnitudine.

HABITAT in collibus arenosis et saxosis *Limae* et *Chancay*.

FLORET Junio, et Julio.

VERNACULE Papas de Lomas dicitur.

USUS : Radix ad sues saginandos eximia.

SOLANUM VARIEGATUM. ICON. CLXII. *Fig. a.*

10. S. caule inermi perennante, foliis lanceolatis basi inaequalibus excavatis, floribus cymosis, fructu maximo ovato.

MELONGENA laurifolia, fructu turbinato variegato. FEW. *Per. Obs. t. 2. p. 735. pl. 26.*

PLANTA herbacea, bipedalis et ultra, pubescens, perennis.

CAULIS erecto-procumbens, angulatus, nodosus, radicans, ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA sparsa, longè petiolata, lanceolata, repanda, integerrima, basi excavata, inaequalia.

PEDUNCULI ramei terminalesque, longi, teretes, multiflori.

FLORES cymosi, cernui.

CALYX quinquepartitus : *laciniis* lanceolatis.

COROLLA albo-caerulea, alba violaceaque.

ANTHERAE violaceae, aut luteae.

BACCA ovata, acuminata, laevis, nitida, alba, purpureo colore variegata, pendula, ferè *Citri Limonis* figurâ, 1-2palmaris.

SEMINA lutea, lentiformia.

Habitat copiosè in *Peruviae* cultis.
Floret ab Augusto ad Novembrem.
Vulgo: *Pepino de la tierra.*
Vires et usus. Fructus edules, Melonis sapore, sed eorum nimius usus febres intermittentes et dysenterias excitat.
Obs. Planta taleolis propagatur.
Explic. Icon. 1 Bacca transversim secta loculamenta ostendens. 2 Semina.

SOLANUM sericeum. Icon. CLXI. *Fig. b.*

11. S. caule inermi fruticoso, ramis gracilibus, foliis ovatis sericeis integerrimis, pedunculis lateralibus 2-6floris.
Planta fruticosa, triulnaris.
Caulis erectus, teres, fuscus, glaber, ramosus.
Rami longissimi, diffusi, filiformes, subteretes, graciles: *teneri* tomentosi, foliosi.
Folia alterna, solitaria, longè petiolata, ovato-lanceolata, acutiuscula, angusta, parva, integerrima, utrinque sericea, incana.
Pedunculi laterales, 2-6flori, tenues, densè pubescentes.
Calyces quinquefidi, obtusiusculi, tomentosi.
Corolla intus violaceo-caerulea, extus sericea, quinqueloba, calyce triplò major.
Bacca rubra, pisi magnitudine.
Habitat in *Huassahuassi* nemoribus imis, calidis.
Floret Decembri, et Januario.
Explic. Icon. 1 Stamen.

SOLANUM acutifolium. Icon. CLXII. *Fig. b.*

12. S. caule inermi suffruticoso flexuoso, foliis geminis ternisque lanceolatis integerrimis, pedunculis unifloris interfoliaceis.
Planta suffruticosa, hirsuta.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami flexuosi, hispidiusculi, supernè dichotomi.
Folia plerumque gemina, altero minimo, rarius subverticillato-terna, inaequalia, breviter petiolata, lanceolata, acuta, angusta, integerrima, utrinque hispidula, deflexa.
Pedunculi interfoliacei terminalesque, solitarii, uniflori, hispiduli, capillares, supernè incrassati.
Calyx hispidus, decemdentatus; denticulis subulatis.
Corolla alba, profunde quinqueloba; laciniis lanceolatis, remotis.
Antherae luteae.
Baccae subrotundae, ciceris magnitudine, aurantii coloris.
Habitat in *Muña* nemoribus calidis.
Floret Julio, et Augusto.

SOLANUM angustifolium. Icon. CLXIII. *Fig. b.*

13. S. caule inermi fruticoso, ramis pulverulentis, foliis lanceolato-linearibus longis, racemis rameis subcorymbosis.
Frutex triulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosissimus.
Rami consimiles; *juniores* virgati, pulverulenti, foliosi.
Folia alterna, petiolata, ferè bipalmaria, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, undulato-repanda, valde venosa, rugosiuscula, subtus magis pulverulenta.
Pedunculi ramei, racemoso-corymbosi, pulverulenti, multiflori.
Calyx semiquinquefidus, pulverulentus.
Corolla albo-violacea, calyce duplò major, profunde quinquefida, extus pulverulenta.
Bacca subovata, nigra, ciceris magnitudine.
Semina lutescentia.
Habitat in nemoribus *Huanuci* ad *Acomayo* tractus.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca cum calyce. 6 Eadem transversim secta loculamenta ostendens. 7 Semina.

SOLANUM lanceolatum. Icon. CLXIV. *Fig. a.*

14. S. caule inermi fruticoso, ramis pulverulentis, foliis lanceolatis acutis, racemis terminalibus, corollis magnis.
Frutex biorgyalis, pulverulentus.
Caulis erectus, teres, ramosus, fuscus, glaber.
Rami patentes, angulati: *teneri* foliosi.
Folia sparsa, breviter petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, supra nitida, parum undulata, sesquipalmaria.
Racemi terminales, subcorymbosi, multiflori.
Calyces corollâ sextuplò breviores.
Corolla magna, patentissima, quinqueloba, acuminata, violacea.
Antherae luteae.
Baccae nigrae, cerasi magnitudine.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* et *Tambo nuevo.*
Floret Septembri, et Octobri.

SOLANUM nitidum. Icon. CLXIII. *Fig. a.*

15. S. caule inermi fruticoso, ramis glabris nitidis, foliis ovato-lanceolatis acutis, racemis terminalibus subcymosis.
Frutex biulnaris, glaber, nitidus.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami teretes, flexuosi, nitidi.
Folia alterna, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, integerrima, leviter repanda, venosa; venis horizontalibus, ramosis.
Petioli basi incrassati.
Racemi terminales, subcymosi, pulverulenti.
Calyx quinquefidus; *laciniis* ovatis, acutis.
Corolla calyce quadruplò major, quinqueloba, albo-violacea, extus pulverulenta.
Baccae nigrae, ciceris magnitudine.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Tarmae* Provinciam.
Floret Majo, et Junio.
Vernacule Rapace.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca cum calyce. 6 Eadem per medium secta loculamenta ostendens. 7 Semina.

SOLANUM ACUMINATUM. Icon. CLIX. *Fig. a.*

16. S. caule inermi fruticoso, foliis geminis ovatis oblongisque acumine stricto, racemis lateralibus, floribus secundis.

Planta fruticosa, glabra, nitida.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami consimiles.

Folia petiolata, integerrima cum acumine stricto subsphacelato, supra nitidiora, alternatim gemina; *altero* duplò minori, ovato; *majori* oblongo.

Racemi laterales, solitarii, ferè bipollicares, folio triplò breviores, multiflori.

Flores duplici serie alternantes, secundi, pedicellis tenuibus, supernè incrassatis.

Calyx quinquefidus, obtusus, corollâ triplò brevior.

Corolla parva, profunde quinqueloba, alba: *lobis* acutis.

Bacca globosa, ciceris magnitudine, nigricans.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Chinchao* vicum.

Floret Julio, et Augusto.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca.

SOLANUM INCURVUM. Icon. CLXIV. *Fig. b.*

17. S. caule herbaceo, foliis ovatis acuminatis, racemis geminis, altero breviori, pedicellis incurvis secundis.

Planta herbacea, bipedalis.

Caulis erectus, glaber, articulationibus incrassatus, angulatus, ramosus.

Rami consimiles, patentiusculi.

Folia alterna, longè petiolata, ovata, acuminata, utrinque pubescentia, integerrima, venosa, sesquipalmaria. *Folium* parvum è singulis axillis.

Petioli folio duplò breviores, hirsuti.

Racemi axillares, gemini, bifidi, altero breviori.

Flores duplici ordine alternantes, secundi.

Pedicelli incurvati, longi, uniflori, violacei, hirsuti.

Calyx campanulatus, leviter quinquedentatus, pubescens, brevis.

Corolla albo-violacea, calyce triplò longior.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* vicum.

Floret Augusto, et Septembri.

SOLANUM OBLONGUM. Icon. CLXV. *Fig. b.*

18. S. caule inermi suffruticoso, foliis geminis oblongis acuminatis; altero maximo, racemis lateralibus brevissimis, floribus secundis.

Planta suffruticosa, glaberrima, biulnaris.

Caulis teres, laevis.

Rami consimiles.

Folia gemina, inaequalia, petiolata, oblonga ovataque, acuminata, integerrima; nervo extus bisulco: *majora* tripalmaria; *parva* quadruplò minora.

Racemi laterales, longitudine petiolorum.

Flores duplici ordine alternantes, secundi, parvi.

Calyces quinquedentati, obtusi.

Corolla profunde quinquefida, patens, albo-violacea, calyce duplò major.

Bacca lutescens, ciceris magnitudine.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Pillao* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum.

SOLANUM NUTANS. Icon. CLXVI. *Fig. a.*

19. S. caule inermi fruticoso, foliis oblongo-ovatis acuminatis, racemis brevissimis oppositifoliis, floribus secundis nutantibus.

Frutex biorgyalis, ferrugineus.

Caulis erectus, ramosissimus.

Rami teretes, granulosi, lanuginosi, ferruginei: *teneri* subangulosi.

Folia alterna, petiolata, oblongo-ovata, acuminata, integerrima, venosissima, subtus lanuginosa, ferruginea, supra glabriuscula.

Racemi oppositifolii, recurvi, brevissimi, ferè sexdecimflori.

Flores duplici serie secundi, subspicati, breviter pedicellati: *plures* decidui.

Pedicelli curvati, lanuginosi.

Calyces lanuginosi, quinquefidi; *laciniis* ovatis.

Corolla alba, brevis, calyce duplò major.

Bacca globosa, lutea.

Semina lutescentia.

Habitat in *Peruviae* ruderatis passim in *Pillao* circuitu.

Floret Augusto, et Septembri.

Vernacule Chuculate.

Explic. Icon. 1 Stamina. 2 Semen.

SOLANUM DICHOTOMUM. Icon. CLXVI. *Fig. b.*

20. S. caule inermi fruticoso, foliis oblongis acuminatis incanis, corymbis terminalibus dichotomis multifloris.

Frutex triorgyalis, incanus, tomentosus.

Caulis erectus, crassiusculus, teres, supernè ramosus.

Rami patentiusculi, teretes, saepè granulosi: *teneri* erecti, tomentoso-pulverulenti, canescentes.

Folia sparsa, patentia, in summitatibus ramorum, oblonga, acuminata, integerrima, latiuscula, tripalmaria, canescentia, subtus densè tomentosa.

Petioli uni-bipollicares.

Corymbi terminales, magni, dichotomi, incani, multiflori.

Flores pedicellati, parvi.

Calyces quinquefidi: *laciniis* acutis.

Corolla profunde quinquefida, acuta, patens, calyce duplò major, violacea.

Bacca lutea, avellanae nucis magnitudine.

Habitat in *Huanuci* Provincia ad torrentium margines.
Floret Julio, Augusto et Septembri.
Explic. Icon. 1 Stamina. 2 Racemi pars cum fructibus.

SOLANUM sessile. Icon. CLXVII. *Fig. a.*

21. S. caule inermi fruticoso, foliis oblongo-spathulatis sessilibus, pedunculis terminalibus recurvo-pendulis, floribus capitato-umbellatis.
Frutex biorgyalis, glaber.
Caules plures, erecti, simplicissimi, teretes, supernè angulosi.
Folia sparsa, conferta, erecta, sessilia, oblongo-spathulata, acuminata, integerrima, pedalia et ultra, ad basim crispa, valde venosa.
Pedunculus terminalis, solitarius, unicus è singulo caule, spithamaeus, recurvus.
Flores in capitulum dichotomo-trifidum, numerosi, breviter pedicellati, parvi.
Pedicelli erecti, in fructu curvati, inaequales.
Calyces quinquefidi; *laciniis* brevibus, obtusis.
Corolla alba, calyce triplò major, profunde quinquefida; *laciniis* acutis.
Antherae atro-purpureae.
Bacca alba, cerasi magnitudine.
Semina parva, lutescentia.
Habitat in *Peruviae* ruderatis ad *Muña* vicum.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Stamina. 4 Bacca. 5 Semina.

SOLANUM obliquum. Icon. CLXV. *Fig. a.*

22. S. caule inermi suffruticoso, foliis cordatis obliquis acutis, pedunculis lateralibus recurvis, floribus secundis.
Frutex biorgyalis, glaber.
Caulis erectus, teres, variegatus.
Rami consimiles.
Folia alterna, petiolata, cordata, acuta, obliqua, supra nitida, leviter pubescentia.
Pedunculi laterales, spicati, revoluti.
Flores duplici serie, secundi: *superiores* breviter pedicellati; *inferiores* pedicellis longissimis, incurvis.
Calyx quinquefidus; *laciniis* subrotundis.
Corolla purpureo-violacea, profunde quinquefida: *laciniis* lanceolatis, calyce quadruplò major.
Antherae violaceae.
Bacca oblonga, utrinque acutiuscula.
Habitat in *Peruviae* nemoribus, ad *Chinchao* vicum.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca cum calyce.

SOLANUM oppositifolium. Icon. CLXVIII. *Fig. a.*

23. S. caule fruticoso, foliis oblongis acuminatis, pedunculis oppositifoliis bi-quadrifloris.
Planta fruticosa, orgyalis, glabra.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami erecti, nitidi.
Folia alterna, breviter petiolata, oblonga, acuminata, leviter undulato-repanda, utrinque glabra, supra nitida, viridia, mitissima, parum venosa.
Petioli brevissimi, sulcati.
Pedunculi oppositifolii, teretes, bi-quadriflori.
Calyx quinquedentatus, in flore parvus, in fructu magnus, ferè urceolatus.
Corolla alba, quinquefida; *laciniis* uncinatis.
Antherae luteae.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Vitoc* vicum, undè Tafalla iconem nobiscum communicavit.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Bacca intra calycem.

SOLANUM glandulosum. Icon. CLXVII. *Fig. b.*

24. S. caule suffruticoso scandente, foliis geminis ovato-cordatis, pedunculis 3-5nis interfoliaceis, denticulis calycinis glandulaeformibus.
Planta suffruticosa, scandens, glabra.
Caulis teres.
Rami consimiles.
Folia gemina, breviter petiolata, subaequalia, ovato-cordata, basi inaequalia, acuta, integerrima, repanda, venosissima.
Pedunculi interfoliacei, 3-4-5ni, uniflori, pollicares, inaequales, teretes, supernè incrassati.
Calyx turbinatus, angulato-striatus, carnosus: *laciniis* decem, rarius 12-14, glandulaeformibus, alternis majoribus: *striis* in fructu obliteratis.
Corolla alba, patentissima, limbo involuto, plicato, obsoletè quinquelobo.
Bacca globosa, dilute coccinea.
Semina obtusè acuminata, albida.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Vitoc* Provinciae *Tarmae* vicum.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum cum calyce. 4 Baccae dimidia pars cum calyce loculamenta ostendens. 5 Semina.

SOLANUM grandiflorum. Ic. CLXVIII. *Fig. b.*

25. S. caule arboreo, foliis ovatis sinuatis integerrimisque; racemis rameis recurvis, floribus secundis magnis.
Arbor sexorgyalis.
Truncus erectus, teres, frondosissimus, crassus.
Rami teretes: *teneri* subangulati, lanuginosi.
Folia alterna, petiolata, ovata, sinuato-angulata integerrimaque, repanda, subtus lanuginosa venosissima, supra hispida, basi inaequalia.
Petioli bipollicares, leviter sulcati.
Pedunculi ramei, solitarii, multiflori, breves, racemosi.

Flores duplici serie alternantes, secundi.
Calyx quinquepartitus, lanuginoso-hispidus, crescens.
Corolla magna, violacea, zonis quinque extus lanuginosis, intus dilutioribus.
Antherae violaceae.
Stylus violaceus. *Stigma* leviter emarginatum.
Bacca magna, lutescens, lanuginosa, dependens.
Semina lutescentia.
Obs. Lanugo omnium plantae partium fulvescens in stellae formam, in calycibus lanugo penicilli instar.
Habitat in *Peruviae* nemoribus imis et calidis ad *Pozuzo*.
Floret Augusto, et Septembri.

SOLANUM anceps. Icon. CLXIX. *Fig. a.*

26. S. caule herbaceo, foliis oblongo-lanceolatis, pedunculis axillaribus 2-3nis brevissimis, fructibus conicis ancipitibus.
Planta herbacea, tripedalis.
Caulis teres, parum ramosus.
Rami consimiles.
Folia alterna, petiolata, oblongo-lanceolata, acuta, integerrima, utrinque glabra.
Pedunculi axillares, bini ternique, breves, inaequales, racemosi, pauciflori.
Flores secundi, breviter pedicellati, duplici serie.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subrotundis.
Corolla parva, calyce duplò major, virescens.
Bacca conica, anceps, versus apicem multiangularis, albicans.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Cuchero* tractus.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca.

SOLANUM pubescens. Icon. CLXIX. *Fig. b.*

27 S. caule fruticoso, foliis ovatis acutis, racemis lateralibus, floribus secundis.
Frutex biorgyalis, pubescens.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami consimiles; *teneri* pubescentes, foliosi.
Folia sparsa, petiolata, ovata, acuta, integerrima, utrinque pubescentia.
Pedunculi ramei, solitarii, racemosi, foliis duplò breviores, pauciflori, pubescentes.
Flores secundi, duplici serie alternantes.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* acutis, in fructu reflexis.
Corolla albo-lutescens.
Bacca globosa, nitida, glaberrima, aurantii coloris, cerasi magnitudine.
Semina fulvescentia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Cuchero* tractus.
Floret Januario, et Februario.
Explic. Icon. 1 Baccae dimidia pars inferior loculamenta ostendens. 2 Semina aucta.

SOLANUM angulatum. Icon. CLXX. *Fig. a.*

28. S. caule bienni, foliis cordatis sinuato-angulatis, racemis lateralibus brevissimis paucifloris recurvis.
Solanum amplissimo anguloso hirsutoque folio, fructu aureo maximo. Few. *Per. Obs. t. 3. p. 62. planch. 46.*
Planta biennis, ulnaris, hirsutissima.
Radix perpendicularis, ramosa, fibrillosa, lutescens.
Caulis erectus, parum ramosus, teres.
Rami consimiles.
Folia alterna, petiolata, amplissima, cordata, sinuato-angulata, venosissima.
Petioli tripollicares.
Pedunculi ramei et ex dichotomiis, racemosi, breves, recurvi, pauciflori.
Flores breviter pedicellati, duplici serie secundi.
Calyx quinquefidus: *laciniis* acutis.
Corolla albo-violacea, calyce paulò longior.
Bacca globosa, parvi citri aurantii magnitudine et colore, lanugine brevi tecta, tandem glabra, nitida, fragrans.
Semina lutescentia.
Habitat in *Peruviae* hortis.
Floret à Junio ad Septembrem.
Vernacule Naranjitas de Quito.
Vires et usus: Fructus in *Mixtura* florum odoris gratiâ, et succi guttas aliquas in potu (*Mate* dicto) Feminae adhibent.
Obs. Linnaeus Synonimiam *Solani* Fewill. ad *Solanum macrocarpon* perperam retulit.
Explic. Icon. 1 Flos integer.

SOLANUM quercifolium.

29. S. caule suffruticoso, foliis laciniato-pinnatifidis, cymis lateralibus multifloris.
Solanum (*quercifolium*) caule inermi subherbaceo angulato flexuoso scabro, foliis pinnatifidis, racemis cymosis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 511.*
Solanum foliis quernis. Few. *Per. Obs. p. 722. pl. 15.*
Habitat in *Peruviae* et *Regni Chilensis* versuris, ad *Tarmae* oppidum, et in *Colchagua* Provincia versùs *Rio claro.*
Floret Aprili, et Majo.

SOLANUM runcinatum.

30. S. caule herbaceo anguloso, foliis laciniato-pinnatifidis, corymbis terminalibus dichotomis.
Planta herbacea, succosa, fragilis, hispidiuscula, tripedalis.
Caulis procumbens, angulosus, ramosus; angulis è petiolorum basi utrinque decurrentibus.
Rami consimiles.
Folia subruncinata, laciniato-pinnatifida; *laciniis* sursum deorsumque curvatis, supra nitidiuscula, utrinque scabriuscula, alterna, patentia, per petiolum decurrentia.
Flores terminales, in corymbum dichotomum.

Corolla violacea, calyce triplò major, revoluta.
Antherae flavae.
Bacca globosa, parva, lutea.
Habitat in *Peruviae* et *Chilensis Regni* ruderatis et versuris.
Floret in *Chile* Augusto, et Septembri; in *Peruvia* per totum ferè annum.

SOLANUM pinnatifidum. Icon. CLXX. *Fig. b.*

31. S. caule herbaceo alato, foliis decurrentibus pinnatifidis, floribus paniculatis.
Planta herbacea, subpedalis, succosa.
Radix fusiformis, fibrillosa.
Caulis erectus, teres, alatus, ramosus, fragilis, pilosus; pilis raris.
Rami consimiles.
Folia alterna, decurrentia, pinnatifida; *laciniis* profundè dentatis.
Pedunculi longi, teretes, paniculati.
Flores pedicellati, cernui, secundi.
Calyx quinquepartitus; *laciniis* linearibus.
Corolla dilutè caerulea, aliquando purpurascens, calyce quadruplò major.
Bacca dependens, pisi magnitudine, lutea.
Habitat in *Peruviae* arenosis ad *Limae* et *Chancay* Provincias, copiosè in *Torreblanca* et *Jequan* collibus.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Flos integer. 3 Baccae dimidia pars inferior loculamenta ostendens. 4 Semina.

SOLANUM multifidum. Icon. CLXXI. *Fig. a.*

32. S. caule herbaceo, foliis multifidis, pedunculis dichotomo-paniculatis.
Planta herbacea, hirsuta, pedalis.
Caulis erectus, infernè divisus, teres.
Folia alterna, per petiolum decurrentia, semiamplexicaulia, multifida.
Pedunculi terminales lateralesque, longissimi, dichotomo-paniculati, multiflori, infra medium foliolo unico, lanceolato, trifido aut integro.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* linearibus, obtusis.
Corolla obscurè caerulea.
Bacca dependens, calyce quadruplò major.
Obs. Solano pinnatifido maximè affine.
Habitat in *Peruviae* collibus ad *Pongo* Provinciae *Camanae* vicum.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Flos integer postice visus. 2 Idem antice conspectus. 3 Pistillum cum calyce.

SOLANUM lycopersicum.

33. S. caule inermi herbaceo, foliis pinnatis incisis, racemis simplicibus. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 513.*
Colitur in *Peruviae* hortis.
Floret toto anno.

Vernacule Tomate.
Obs. 1. In ruderatis maritimis abundat S. Lycopersici Varietas illa, quam *C. Bauhinus* Solanum racemosum cerasorum formâ nuncupat. Pinax. *pag. 167. Prodr. 90.*
Obs. 2. Haec Varietas, quae ab Incolis *Tomate redondo* appellatur, *Planta* est herbacea, hirsuta; *Caule* procumbente, tereti; *Foliis* impari abruptèque pinnatis; *Foliolis majoribus* ovatis, acutis, serrato-incisis; *minoribus* minimis, orbiculatis; *Racemis* caulinis, longis, bipartitis; *lobo altero* plerumque bifido; *Floribus* secundis, longè pedicellatis; *Pedicellis* longis, filiformibus, bracteolis subrotundis suffultis; *Corollâ* luteâ; *Baccâ* rubrâ.

SOLANUM peruvianum.

34. S. caule herbaceo, foliis interruptè pinnatis, impari majori; minoribus sessilibus, racemis bipartitis dichotomisque foliosis.
Solanum (*peruvianum*) caule inermi herbaceo, foliis pinnatis incisis tomentosis, racemis bipartitis foliosis, baccis subpilosis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 514.*
Lycopersicon Pimpinellae sanguisorbae folio. Fewill. *Per. Obs. tom. 3. pag. 37. pl. 25.*
Planta herbacea, pubescens, incana, prostrata, tripedalis.
Radix ramosa, fibrillosa.
Caulis teres, ramosus.
Rami consimiles, graciles.
Folia alterna, interruptè pinnata, impari majori, leviter tomentosa: *foliola* heterophylla, obtusa aut acuta: *majora* petiolata, crenata, aut incisa; *minora* subrotunda, sessilia, aut breviter petiolata.
Pedunculi laterales terminalesque, dichotomi.
Flores laxè racemosi, secundi, longè pedicellati.
Pedicelli tenues, in flore erecti, bracteolâ subreniformi stipati.
Calyces quinquepartiti: *laciniis* linearibus, acutis.
Corolla lutea, quinquefida: *laciniis* acutis, reflexis.
Bacca globosa, rubra, nutans, ciceris magnitudine.
Habitat in *Peruviae* aridis locis, versuris et ruderatis copiosè ad *Limae* et *Chancay* Provincias.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Vulgo: *Tomate Cimarron*, id est, *Pomum aureum silvestre.*

SOLANUM diffusum. Icon. CLXXI. *Fig. b.*

35. S. caule suffruticoso, ramis virgatis diffusis, foliis impari-pinnatis, foliolis oblongis, pedunculis axillaribus 2-5floris.
Planta suffruticosa (*Jasmini* facie.)
Caulis ramosus, diffusus, angulatus.
Rami longissimi, consimiles: *teneri* pubescentes.
Folia alterna, secunda, impari-pinnata: *foliola* oblonga, integerrima, acuminata, *extima* majora.
Petioli pubescentes.
Pedunculi axillares, bini ternique, bi-quinqueflori, inaequales, pubescentes, foliis breviores.

Flores pedicellati.
Calyx parvus, quinquecrenatus.
Corolla calyce quadruplò longior, violacea, patens, quinquefida.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Huanuci* Provinciam.
Floret Junio, Julio et Augusto.

SOLANUM ternatum. Icon. CLXXII. *Fig. a.*

36. S. caule suffruticoso tetragono scandenti radicanti, foliis ternatis, pedunculis axillaribus.
Planta suffruticosa, glabra.
Caulis scandens, radicans, obtusè tetragonus.
Rami consimiles.
Folia alterna, longè petiolata, ternata: *foliola* oblongo-lanceolata, integerrima; *lateralibus* obliquis; *intermedio* majori, acuminato.
Pedunculi plures, axillares, pauciflori.
Flores subumbellati, pedicellis subaequalibus.
Calyx parvus, quinquecrenatus.
Corolla purpureo-violacea, calyce quadruplò major, profunde quinquefida.
Bacca ovato-conica, albicans, ciceris magnitudine.
Habitat in *Peruviae* nemoribus humidis versus *Cuchero*.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum.

SOLANUM conicum. Icon. CLXXII. *Fig. b.*

37. S. caule herbaceo, foliis impari-pinnatis, foliolis oblongo-lanceolatis, pedunculis axillaribus subternis spicatis, fructu conico.
Planta herbacea, bipedalis, annua.
Caulis erectus; infernè divisus, teres; supernè pilosus, angulatus.
Folia alterna, petiolata, impari-pinnata: *foliola* breviter petiolata, oblongo-lanceolata, integerrima, carinata, supra pilosa, nonnulla basi inaequalia; *extima* gradatim majora.
Pedunculi axillares, solitarii, bini, saepè terni, erecti, longitudine ferè petiolorum, filiformes, apice recurvati, glabri.
Flores spicati, secundi, duplici serie alternantes, pedicellati, parvi.
Pedicelli supernè incrassati.
Calyx quinquepartitus, acutus.
Corolla albo-caerulea, calyce duplò major.
Bacca conica, alba, drupae oleae magnitudine.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Chinchao* et *Cuchero* tractus.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca transversim secta, loculamenta ostendens. 6 Semina.

SOLANUM mite. Icon. CLXXIII. *Fig. a.*

38. S. caule herbaceo radicante, foliis impari-pinnatis; foliolis oblongis, racemis axillaribus aggregatis, baccis globosis.
Planta herbacea, bipedalis, glabra, mitis, annua.
Radix fibrosa, albo-lutescens.
Caulis erectus, simplex, rariùs infernè divisus, radicans, nitidus, flexuosus, obtusè angulatus.
Folia alterna, impari-pinnata, petiolata: *foliola* breviter petiolata, oblonga, acuta, integerrima, mitissima, supra nitida, basi obliqua, inaequalia.
Pedunculi plures, axillares, petiolis triplò breviores, graciles, pauciflori.
Flores nutantes, minimi, secundi, pedicellati, duplici serie alternantes.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subrotundis.
Corolla alba.
Bacca alba, globosa, magnitudine pisi.
Habitat in *Panatahuarum* Provinciae nemoribus, ad *Pozuzo* et *Chinchao* vicos in locis humidis, et umbrosis.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum.

SOLANUM tuberosum.

39. S. caule inermi herbaceo, foliis interruptè pinnatis, foliolis ovatis, pedunculis subcorymbosis.
Solanum (*tuberosum*) caule inermi herbaceo, foliis pinnatis integerrimis, pedunculis subdivisis. Linn. *Sp. pl. t. 1. p. 513.*
Planta herbacea, tripedalis, biennis.
Habitat in *Peruviae* et *Chilensis Regni* cultis, et in collibus *Chancay*, ad *Jequan* et *Pasamayo* praedia.
Floret Julio, et Augusto.
Vernacule Papas Peruviani nuncupant. In Hispania *Patatas Manchegas.*
Obs. Color florum et radicum maximè variat.
Usus: Culinaris. Vide Parmentier *Exam. Chim. des Pommes de terre pag. 192.*

SOLANUM viridiflorum. Icon. CLXXIII. *Fig. b.*

40. S. caule fruticoso, foliis cordato-ovatis simplicibus, racemis dependentibus.
Planta fruticosa, orgyalis, villosa, mitis.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami consimiles.
Folia alterna, petiolata, simplicia, cordato-ovata, acuta, subrepanda, integerrima.
Petioli teretes, breves.
Pedunculi axillares rameique, racemosi, longitudine ferè foliorum, dependentes.
Flores pedicellati, alterni.
Calyx semiquinquefidus: *laciniis* acutis, erectis.

Corolla viridis, profundè quinquefida: *laciniis* ovato-lanceolatis, reflexis.
Bacca oblongo-obovata, villosa, lutescens.
Semina lentiformia, lutea.
Habitat in *Peruviae* nemoribus, ad *Sancti Antonii de Playa grande* vicum.
Floret Julio, et Augusto.
Obs. Affine *Solano pendulo.*
Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Baccae dimidia pars semina ostendens.

SOLANUM pendulum. Icon. CLXXIV. *Fig. a.*

41. S. caule fruticoso, foliis pinnatis, foliolis 2-6nis obliquè cordatis, racemis dependentibus furcatis.
Planta frutescens, biorgyalis.
Caulis erectus, medullosus, in summitate ramosus.
Rami patentes, dichotomi, hirsuti.
Folia alterna, remota, rariùs gemina, pinnata, aliquando simplicia: *foliola* 2-6na, obliquè cordata ovataque, acutissima, impari majori, utrinque pubescentia, integerrima, venosissima.
Pedunculi ex dichotomiis, solitarii, semipedales, furcati, dependentes, laxè racemosi.
Flores alterni, pedicellati.
Calyx quinquecrenatus; crenaturis brevi acumine.
Corolla obscurè purpurea, leviter pubescens, profunde quinquefida: *laciniis* lanceolatis, acutis, apice reflexis, calyce quadruplò major.
Bacca magna, ovata, pyri mediocris magnitudine, lutea.
Obs. Flores quatuor utplurimum ad maturitatem perveniunt: reliqui praematurè decidunt.
Habitat in *Panatahuarum* Provinciae nemoribus, praesertim in *Muña* umbrosis locis.
Floret à Majo ad Augustum.
Vernacule Monte Papaya.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Baccae dimidia pars inferior loculamenta ostendens.

SOLANUM havanense.

42. S. caule inermi frutescente, foliis lanceolatis nitidis integerrimis, pedunculis subbifloris. Linn. *Sp. pl. p. 512.*
Habitat in *Peruviae* umbrosis locis ad *Acobamba* et *Picoy* Provinciae *Tarmae* vicos.
Floret Julio, et Augusto.
Obs. Folia aliquando gemina. *Pedunculi* solitarii, 2-3nique. Reliqua, ut in Jacquin. *amer. pag. 49. tab. 35.*

SOLANUM foetidum.

43. S. caule inermi fruticoso, foliis ovatis dependentibus, umbellis oppositifoliis nutantibus, fructu aureo.
Planta frutescens, sexpedalis, foetidissima, glabra.
Caulis erectus, inermis, ramosus, teres, nitidiusculus.
Rami consimiles.
Folia alterna, deflexa, petiolata, ovata, integerrima, subtus venosa.
Pedunculi oppositifolii, multiflori.
Flores nutantes, umbellati.
Corolla albo-caerulea, patentiuscula.
Antherae declinatae.
Bacca aurea, parvae nucis juglandis magnitudine.
Semina lutea.
Habitat in *Tarmae* oppidi versuris et ruderatis.
Floret Julio, et Augusto.

SOLANUM asperolanatum. Ic. CLXXIV. *Fig. b.*

44. S. caule aculeato arboreo, foliis oblongis solitariis geminisque angulatis integerrimisque, corymbis rameis subdichotomis.
Frutex quinqueorgyalis, aspero-lanatus: *lanugo* lucida, in stellae formam digesta.
Caulis erectus, simplex, supernè ramosissimus, vix aculeatus.
Rami *annotini inferiores* glabri, aculeati: *superiores* inermes, lanuginosi, ferruginei.
Folia petiolata, lucida: *ramulorum inferiorum juniorum* alterna, oblongo-lanceolata, acuta, angulosa, utrinque lanata: *superiora* alterna geminaque, oblonga, acuminata, basi inaequalia, integerrima, subtus lanuginosa, supra aspero-hispida.
Pedunculi ramei, subdichotomi, corymbosi, multiflori.
Flores pedicellati, duplici serie alternantes.
Calyces quinquefidi: *laciniis* ovatis, acutis, lanuginosi.
Corolla alba, extus lanata, calyce duplò major; *laciniis* acutis.
Bacca lutea, nucis avellanae magnitudine.
Semina lutescentia.
Habitat in *Peruviae* praeruptis, ad *Huassahuassi* arcem.
Floret Januario, et Februario.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Flos integer. 3 Stamina. 4 Pistillum.

SOLANUM scabrum. Icon. CLXXV. *Fig. a.*

45. S. caule aculeato fruticoso, foliis sinuato-angulatis acutis scabris, corymbis dichotomis, floribus intus secundis.
Frutex biorgyalis, corymbiformis.
Caulis erectus, ramosus, leviter angulosus, aculeatus, laevis.
Rami consimiles.
Aculei pauci, remoti, minimi, recti, rigidi, fulvescentes, per caulem, ramos, petiolos et foliorum dorsum dispersi.
Folia alterna, solitaria, aliquando gemina, petiolata, ovato-oblonga, sinuato-angulata, basi inaequalia, subtus valde venosa, utrinque setis minimis in stellularum formam digestis scabra; angulis acutis.
Petioli bipollicares, supra sulcati.
Pedunculi ramei, foliis alternantes.
Corymbi magni, dichotomi.
Flores secundi, intus spectantes, pedicellati.

Pedicelli erecti, supernè incrassati, angulosi.
Calyx profunde quinquefidus, acutus.
Corolla caeruleo-violacea, calyce triplò major: *laciniis* acutis.
Bacca globosa, aurantii coloris, ciceris magnitudine.
Habitat in *Peruviae* versuris et ruderatis, affatim ad *Muña* et *Chinchao* tractus.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Vernacule Casiamuru.
Usus: Baccae loco saponis ad crines et vestimenta abluenda inserviunt.
Explic. Icon. 1 Stamen. 2 Bacca transversim secta. 3 Semina. 4 Villi in stellae formam aucti.

SOLANUM incanum. Icon. CLXXV. *Fig. b.*

46. S. caule arboreo aculeato, foliis junioribus 7-9lobatis; adultis sinuatis, racemis 2-3nis subcorymbosis, floribus secundis.
Arbor quadriorgyalis et ultra.
Caulis erectus, crassus, supernè ramosus, teres, aculeatus.
Rami *seniores* teretes, inermes; *juniores* aculeati, glauci, angulati.
Aculei dispersi, horizontales, erecti recurvique.
Folia inermia, alterna, solitaria geminaque, altero minore, petiolata, ovato-oblonga, nonnulla oblongo-lanceolata, integerrima, sinuata lobataque, basi inaequalia, supra glabra, nitida, subtus tomentosa, alba, mitissima.
Petioli ferè bipollicares, teretes.
Racemi laterales, suboppositifolii, gemini, terni, quaterni, bifidi, subcorymbosi, tomentosi.
Flores secundi, 14-20, plures caduci.
Calyx parvus, quinquecrenatus.
Corolla alba, calyce quadruplò major, patens.
Bacca globosa, parva, lutea, tandem nigra.
Semina fulvescentia.
Habitat in *Peruviae* praeruptis ad torrentium margines *Huanuci*, *Acomayo*, *Chulquillo* et *Camcham.*
Floret Junio, Julio et Augusto.
Vernacule Yurahuacta et *Yurahuassa*, id est, *Enves blanco* et *Espina blanca.*
Usus: Folia ad ulcera cancrosa suppuranda, detergenda et cicatricanda valent.
Explic. Icon. 1 Stamen. 2 Bacca per medium secta. 3 Semina.

SOLANUM incarceratum. Icon. CLXXVI. *Fig. a.*

47. S. caule aculeato suffruticoso, foliis geminis cordatis aculeatis, floribus secundis, baccis glabris cancellatis.
Planta suffruticosa, densè hirsuta, biulnaris.
Caulis erectus, ramosus, teres, aculeatus.
Rami subangulati, patuli, aculeati.
Aculei rigidi, recti, inaequales.
Folia gemina, petiolata, cordata, 5-11angulata; altero altiori, ferè triplò breviori.
Pedunculi ramei, breves, racemosi, incurvati, inermes.
Flores secundi, duplici ordine alternantes.
Calyx inermis, in flore reflexus, in fructu erectus, baccae longitudine, quinquepartitus: *laciniis* subulatis.
Corolla albo-violacea.
Bacca intra calycis lacinias incarcerata, alba, oblonga, venosa, glaberrima, cerasi magnitudine.
Semina lutescentia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus, ad *Chinchao* runcationes.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Stamen. 2 Baccae dimidia pars inferior loculos ostendens. 3 Semina.

SOLANUM stellatum. Icon. CLXXVI. *Fig. b.*

48. S. caule aculeato fruticoso hispidissimo, setis apice stellatis, foliis lobatis, corymbis magnis dichotomis.
Frutex biorgyalis, hispidissimus. *Setae* apice pilis in stellae formam.
Caulis erectus, teres, aculeatus, supernè ramosissimus.
Rami in corymbi formam, patentes, subteretes, aculeati.
Aculei recti, obscurè purpurei.
Folia alterna, petiolata; *superiora nonnulla* ovata, integerrima, acuta; *pauca* subrepanda; *reliqua* cordata, basi inaequalia, 7-11lobata, subspithamaea, subtus valde hirsuta, supra aspera setis minimis, in stellularum formam dispositis, venosissima, rugosiuscula, aculeis nonnullis respersa: *lobis* ovatis, acutis, integerrimis.
Pedunculi ramei terminalesque, inermes, corymbosi.
Corymbi magni, dichotomi.
Flores secundi, duplici ordine alternantes; *plurimi* caduci.
Calyx lanuginosus, quinquefidus, acutus.
Corolla alba, extus lanuginosa, profundè quinquefida, calyce triplò longior.
Antherae violaceae, longae.
Bacca globosa, lutescens.
Habitat in *Peruviae* ruderatis, ad *Pillao* et *Panao* vicos.
Floret à Majo ad Septembrem.
Vernacule Campucasa et in Panao *Huircacasa.*
Explic. Icon. 1 Stamen. 2 Baccae pars dimidia loculos ostendens. 3 Semina.

SOLANUM laciniatum. Icon. CLXXVII. *Fig. a.*

49. S. caule aculeato fruticoso scandenti, foliis geminis laciniatis; altero lanceolato integerrimo, racemis filiformibus longissimis.
Planta frutescens, bi-triorgyalis, glabra.
Caulis scandens, subangulatus, ramosus, aculeatus.
Rami diffusi, angulosi, aculeati.
Aculei parvi, recurvi, lutescentes.
Folia gemina, subsessilia, dorso aculeata; *majora* oblonga, laciniato-lobata: *laciniis* sublanceolatis, acutis, horizontalibus; *alterum* quadruplò minus, ovato-lanceolatum, integerrimum.
Petioli brevissimi, decurrentes.
Pedunculi laterales, solitarii, aculeati, filiformes, simpli-

ces, folio majori plerumque breviores, aliquando longiores, in fructu dependentes.

FLORES racemoso-spicati, secundi, duplici ordine alternantes, breviter pedicellati.

CALYX parvus, quinquecrenatus.

COROLLA profunde quinquefida; *laciniis* acutis, patulis, calyce triplò major, caerulea.

BACCA globoso-obovata, magnitudine parvi pyri, aurea.

SEMINA lutea.

HABITAT in nemoribus *Chinchao* et *Cuchero*.

FLORET Junio, Julio et Augusto.

VERNACULE Rocotito de Monte.

USUS: Incolae fructus maturos incoctos comedunt.

SOLANUM TOMENTOSUM.

50. S. caule aculeato fruticoso, aculeis acerosis, foliis cordatis inermibus subrepandis: tenellis purpureo-pulverulentis. LINN. *Sp. pl. tom. 1. pag. 519.*

HABITAT in praeruptis et umbrosis *Tarmae*.

FLORET Majo, et Junio.

VERNACULE Hormis appellatur.

SOLANUM LYCIOIDES. ICON. CLXXVII. *Fig. b.*

51. S. caule spinoso fruticoso, foliis oblongis obovatis ovatisque, ramis in spinam desinentibus, pedunculis aggregatis unifloris.

SOLANUM (*lycioides*) caule spinoso fruticoso, foliis ellipticis. LINN. *Sp. pl. tom. 1. pag. 521.*

FRUTEX orgyalis, spinosus.

CAULIS ramosissimus, expansus, teres, cortice rimoso, cinereo, suberoso.

RAMI subangulati, deflexi.

SPINAE longae, foliosae, floriferae, vix pungentes.

FOLIA alterna, solitaria, aut 4-6-plurave ex eodem puncto, inaequalia, breviter petiolata, integerrima, oblonga, obovata ovataque, supra pubescentia, parum scabra, subtus tomentosa, albicantia: *Villis* brevibus, lente visis, in stellae formam digestis.

PEDUNCULI axillares, ramei aut ex gemmis, bini, seni, breves, uniflori, tenues, filiformes, infernè attenuati, recurvati.

CALYX campanulatus, pentagonus, quinquedentatus, aliquando decemdentatus: *denticulis* subulatis, semiteretibus, crassis, strictis; alternantibus brevioribus; inferus, in flore erectus, in fructu patentissimus.

COROLLA rotata, quinqueplicata, quinque emarginata, patentissima, albo-caerulea aut violaceo-caerulea, fundo lutescens; lineis tribus per singulas plicaturas decurrentibus.

FILAMENTA quinque, subulata: *duo inferiora* breviora, arcuata; *tria superiora* longiora, quorum duo lateralia arcuata, intermedio recto, paulò breviori. *Antherae* incarnato-croceae, apice biperforatae.

GERMEN subrotundum. *Stylus* filiformis, curvatus, supernè incrassatus. *Stigma* emarginatum.

BACCA globosa, rubro-crocea, bilocularis, pisi magnitudine.

SEMINA pauca, utplurimum octo, anguloso-reniformia, ossea. *Nucleus* reniformis.

HABITAT in *Peruviae* locis argillosis et petrosis, passim ad *Huanuci* et *Tarmae* Provincias. Colitur in Hort. Reg. Matrit. ubi laetè vegetat è seminibus à nobis missis.

FLORET ferè toto anno, praesertim Octobri, et Novembri.

VERNACULE Amacasa, id est, *Spinus non pungens*.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Eadem absque staminibus. 4 Stamina. 5 Pistillum.

PHYSALIS. LINN. *Gen. pl. pag. 134.*

PHYSALIS PROSTRATA.

1. P. caule tereti villoso, foliis ovatis obtusis angulatis basi inaequalibus, pedunculis axillaribus unifloris.

PHYSALIS (*prostrata*) ramosissima, caule procumbente tereti hirsuto, foliis subcarnosis. L'HERIT. *Stirp. nov. fasc. 3. pag. 43. Icon. 22.*

PLANTA herbacea, villosa, carnosa, annua.

RADIX ramosiuscula, fibrillosa, tenuis.

CAULIS prostratus, ramosus, teres, fragilis.

RAMI consimiles.

FOLIA alterna, superiora aliqua gemina, altero minori, petiolata, ovata, obtusa, angulata, subrepanda, venosa, nonnulla basi inaequalia.

PETIOLI canaliculati, foliorum ferè longitudine.

PEDUNCULI axillares, solitarii, teretes, uniflori, petiolis breviores, erecti, in fructu cernui.

CALYX parvus, inflatus, decagonus, semiquinquefidus, crescens: *laciniis* acutis, parum reflexis.

COROLLA campanulata, plicata, caerulea, lineis obscurè purpureis maculata, fragrans.

BACCA viridi lutea, intra calycem clausa, globosa, ciceris magnitudine.

SEMINA parva, fulvescentia.

HABITAT in *Peruviae* arenosis ad *Limae* et *Chancay* Provincias, passim ad *Torreblanca*, *Jequan*, *Retes*, *Esquibel* et *Pasamayo* praedia et in *Huaura* collibus.

FLORET Junio, et Julio.

VULGO: *Campanillas olorosas*.

PHYSALIS PUBESCENS.

2. P. caule angulato, foliis cordatis dentato-angulatis, floribus fructibusque pendulis.

PHYSALIS (*pubescens*) ramosissima, foliis villosis viscosis, floribus pendulis. LINN. *Sp. pl. tom. 1. pag. 509.*

ALKEKENGI virginianum, fructu luteo. FEWILL. *Per. Obs. tom. 3. pag. 5. pl. 1.*

PLANTA tripedalis, pubescens, viscosa, biennis.

CAULIS erectus, ramosissimus, angulatus, nodosus, striatus.

RAMI consimiles, subdichotomi.

FOLIA alterna, solitaria geminaque; altero minori, petiolata, cordata, acuta, dentato-angulosa, undulata, venosissima.

Petioli foliis triplò breviores.

Pedunculi axillares et ex divisionibus ramorum, solitarii, recurvati, uniflori, breves.

Calyx semiquinquefidus, acutus, crescens, longitudine tubi corollae.

Corolla lutea, in centro maculis quinque obscurè purpureis notata. *Tubus* intus lanatus. *Limbus* patens.

Bacca globosa, magna, lutea, nutans, intra calycem magnum, inflatum, venoso-reticulatum, membranosum, angulatum.

Semina parva, lutescentia.

Habitat in *Peruviani* et *Chilensis Regni* cultis et versuris.

Floret toto anno.

Vernacule Capulí et *Fructus Capulies* nuncupantur.

Usus: Fructus edules, acido-dulces, odorati. Feminae in compositione florum (*Mixtura* dictâ) eos adhibent, et crines, odoris gratiâ, ipsis ornant.

PHYSALIS angulata.

3. P. caule angulato, foliis oblongo-lanceolatis dentatis integerrimisque, floribus fructibusque dependentibus.

Physalis (*angulata*) ramosissima, ramis angulatis glabris, foliis ovatis dentatis. Linn. *Sp. pl. tom. 1. p. 509.*

Planta herbacea, bipedalis, glabra, annua.

Caulis erectus, ramosissimus, quinqueangularis.

Rami anguloso-striati, patuli.

Folia gemina, altero minori, solitariaque, petiolata, oblongo-lanceolata, dentata integerrimaque, venosa: denticulis incurvatis.

Petioli foliis triplò breviores.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, erecti, longitudine ferè petiolorum, filiformes, tenues.

Calyx quinqueangulatus, semiquinquefidus; *laciniis* acutis, erectis.

Corolla lutea caeruleaque, calyce duplò major, in medio maculata; *limbo* quinquefido, acuto.

Antherae caeruleae.

Bacca globosa, luteo-virescens, cernua, intra calycem clausum, inflatum, angulatum, membranaceum, venoso-reticulatum.

Habitat in *Peruviae* segetibus et ruderatis, passim in *Limae* et *Chancay* Provinciis.

Floret Julio, et Augusto.

Vernacule Capulí Cimarron, id est, *Falso Capulí.*

Vires: Diureticâ vi pollet.

PHYSALIS subtriflora. Icon. CLXXVIII. *Fig. a.*

4. P. caule angulato, foliis ovatis acutis integerrimis villosis, pedunculis 2-3nis unifloris, fructibus cernuis.

Planta herbacea, bipedalis, villosa, annua.

Caulis erectus, angulatus, ramosus.

Rami patentes, subdichotomi.

Folia alterna, ex divisionibus ramorum, solitaria geminaque, ovata, acuta, integerrima, venosa; nonnulla basi inaequalia.

Pedunculi axillares et ex divisionibus ramulorum, bini, ternique, uniflori, breves, filiformes, graciles, erectiusculi.

Calyx quinquedentatus, angulatus, tenuis, corollâ triplò brevior.

Corolla lutea, semiquinquefida, acuta, venosa, patentiuscula.

Bacca nutans, globosa, pisi magnitudine, lutescens, intra calycem suburceolatum, membranaceum, tenue.

Semina parva, lutescentia.

Habitat in praeruptis *Cantae* Provinciae versus *Obragillo* et *S. Bonaventurae* vicos.

Floret Martio, et Aprili.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Baccae dimidia pars loculos ostendens. 6 Semen.

SARACHA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 31.

Icon. XXXIV.

SARACHA punctata. Icon. CLXXVIII. *Fig. b.*

1. S. foliis ovato-oblongis solitariis, corollis punctatis.

Planta suffruticosa, bi-tripedalis.

Caulis ramosus, teres, fuscus.

Rami consimiles: *teneri* angulosi, pulverulenti.

Folia alternatim sparsa, petiolata, ovato-oblonga, integerrima, venosissima, pulverulenta, supra glabra.

Pedunculi ex apicibus ramulorum vel gemmarum, aggregati, uniflori, ad basim attenuati, corollâ paulò longiores.

Flores nutantes.

Calyx glaber: *laciniae* ovato-subrotundae, obtusae.

Corolla maxima, campanulata, tandem patens, laciniis reflexis, luteo-purpurascens, punctis purpureis maculata, extus pulverulenta.

Stamina anulo tubi corollae inserta, erecta.

Habitat in alpibus *Muña* et *Panao* ad *Tambo nuevo* et *Portachuelo*, et in *Canta* prope *Obragillo* vicum.

Floret Augusto et Septembri in *Muña* et *Panao*, mensibus Martio et Aprili in *Canta.*

Vires et usus: Folia contusa anodynâ, depuratoriâ et emollienti virtute pollent.

Obs. Sapor foliorum amarissimus.

Explic. Icon. 1 Calyx cum pistillo. 2 Stamina.

SARACHA biflora. Icon. CLXXIX. *Fig. a.*

2. S. foliis ovatis subgeminis, pedunculis bifloris.

Planta bipedalis, pubescens, perennis.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami angulati.

Folia alterna geminaque, ovata, acuta, integerrima, venosa.

Pedunculi laterales, solitarii, biflori, rarissime triflori.

Flores cernui.

Corolla campanulata, tandem patens, laciniis acutis, ve-

nosa, luteo-viridis.
STAMINA corollâ duplò longiora, erecta.
BACCA alba, subrotunda, depressiuscula, pisi magnitudine.
HABITAT in *Peruvia* ad *Huassahuassi* vicum inter segetes, et sepes. Colitur in Hort. Reg. Matrit. è seminibus à nobis missis.
FLORET Novembri, et Decembri.
VERNACULE Tomatillo Cimarron, id est, *Pomum aureum* parvum silvestre.
VIRES ET USUS: Folia contusa et axungiae suillae mixta emollienti et anodynâ vi pollent.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla cum staminibus. 3 Pistillum. 4 Bacca. 5 Eadem per medium secta. 6 Semina.

SARACHA CONTORTA. ICON. CLXXX. *Fig. a.*

3. S. foliis ovatis angulato-dentatis integrisque, pedunculis multifloris umbellatis.

PLANTA herbacea, ulnaris, annua.
RADIX fibrosissima, albidiuscula.
CAULIS erectus, pentagonus, quinquesulcatus, cavus, ramosus, glaber, infernè livido-violaceus.
RAMI consimiles, alterni dichotomique, pubescentes.
FOLIA alterna, petiolata, ovata; *inferiora* solitaria, angulato-dentata; *superiora* gemina, altero minori, basi inaequalia, integerrima, obliqua, acuta, utrinque pubescentia per petiolum decurrentia.
PETIOLI semiteretes, foliis triplò breviores.
PEDUNCULI ex dichotomiis et ex axillis superioribus, solitarii, contorti, sulcati, 6-1 oflori, declinati.
FLORES umbellati, nutantes, pedicellati.
PEDICELLI uniflori, sulcati, contorti.
COROLLA albo-lutescens, campanulata, tandem patentissima; *laciniis* acutis.
STAMINA basi hirsuta.
BACCA globosa, nigra, pisi magnitudine.
HABITAT in praeruptis *Cantae* ad *Obragillo* vicum. Colitur in Hort. Reg. Matrit. è seminibus à nobis missis.
FLORET per totum ferè annum.
VIRES: Folia emollientia et anodyna sunt.
Explic. Icon. 1 Calyx anticè visus. 2 Idem posticè aspectus. 3 Flos integer. 4 Pistillum. 5 Bacca. 6 Eadem per medium secta. 7 Semina.

SARACHA PROCUMBENS. ICON. CLXXX. *Fig. b.*

4. S. foliis geminis ovatis integerrimis, pedunculis subquadrifloris umbellatis.

ATROPA (*procumbens*) caule herbaceo procumbente: foliis geminis inaequalibus ovatis glabris, floribus umbellatis. CAVAN. *Icon. vol. 1. pag. 53. n. 80. tab. 72.*

PLANTA herbacea, tripedalis.
CAULIS procumbens, ramosissimus, dichotomus, cavus, angulosus, sulcatus, pubescens.
RAMI consimiles.
FOLIA gemina, altero breviori, aliquando solitaria, ovata, per petiolum decurrentia, patentia, parum undulata, venosissima: *tenuiora* supra nitida, dorso et margine villosa.
PEDUNCULI interfoliacei, solitarii, bi-tri-quadriflori, villosi, in flore patentes, in fructu nutantes, contorti.
CALYCES villosi, in flore et fructu expansi, ante et post florescentiam pentagoni.
COROLLA albo-lutescens, primum ovata, plicata, deinde campanulata, patentiuscula, tandem patentissima, rotata, in centro viridiuscula, margine pubescens.
STAMINA basi tubi inserta, erecta, aequalia.
BACCA glabra, nitida, venosa, ciceris magnitudine.
SEMINA lentiformia, basi vix emarginata.
HABITAT in *Cantae* Provincia ad *S. Bonaventurae* vicum. Colitur in Reg. Hort. Matrit. è seminibus à nobis missis.
FLORET Januario, et Februario.
VIRES: Folia anodynam et depuratoriam virtutem habent.
Explic. Icon. 1 Calyx anticè visus. 2 Idem posticè. 3 Corolla cum staminibus. 4 Bacca per medium secta semina ostendens. 5 Semina.

SARACHA DENTATA. ICON. CLXXIX. *Fig. b.*

5. S. foliis geminis ovatis integris dentatisque, pedunculis subquadrifloris.

PLANTA herbacea, pubescens, procumbens, annua.
RADIX fusiformis, fibrosa, albida.
CAULIS è radice ramosissimus.
RAMI procumbentes, semipedales, dichotomi, angulosi, tenues.
FOLIA gemina, altero breviori, breviter petiolata, ovata, oblonga lanceolataque, integerrima, aut dentata.
PEDUNCULI ex dichotomiis interfoliaceique, solitarii, filiformes, tri-quadriflori, aliquando quinqueflori.
FLORES umbellati, cernui, breviter pedicellati.
COROLLA utrinque villosa, albo-violacea, pellucida, fundo punctis decem viridibus notata, campanulata, tandem patens, rotata, laciniis acutis.
BACCA crocei coloris, parvi pisi magnitudine.
SEMINA rugosiuscula.
HABITAT in versuris *Cantae* ad *Obragillo* vicum.
FLORET Januario, et Februario.
VIRES: Folia cum axungia suilla cocta et in cataplasmatis formam contusa ad tumores emolliendos et illorum dolores sedandos adhibentur.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Bacca cum calyce. 6 Eadem transversim secta. 7 Semina.

CALYDERMOS.

CHARACTER GENERICUS NATURALIS.

CAL. *Perianthium* ovatum, quinqueangulatum, quinquepartitum: angulis acutis, compressis: *laciniis* sagittatis, acuminatis, venosissimis: inferum, crescens, persistens.
COR. campanulata. *Tubus* brevis. *Limbus* patentiusculus,

quinqueplicatus, quinquelobus, obtusus.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, basi dilatata, incurvata, ultra basim corollae inserta. *Antherae* erectae, conniventes, ovato-sagittatae, didymae, biloculares.

PIST. *Germen* conico-ovatum, 3-5gonum, insidens receptaculo elevato, brevi, cyathiformi. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, 3-5sulcatum, pentagonum.

PER. *Bacca* globosa, exsucca, 3-5locularis, tecta calyce membranaceo, subscarioso, venoso-reticulato, quinquepartito, pentagono; angulis magnis, compressis.

SEM. numerosa, orbiculato-reniformia, compressa, inserta receptaculis oblongis, fungoso-carnosis, demum siccis.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla campanulata. *Stamina* incurvata. *Bacca* exsucca, 3-5locularis, intra calycem magnum, membranaceum, pentagonum, venoso-reticulatum.

Obs. 1. Calydermon Genus hoc nuncupavimus ob calycis consistentiam membranaceam, baccam maturam includentis.

Obs. 2. Quanquam hanc plantam Genus constituere à *Physalide* plane diversum cum Adansonio et Jussieo sentimus; *Nicandrae* tamen nomen, quod ei Jussieus indidit, non retinemus, utpote alii Plantae ab Aubletio *Potalia* et *Nicandra* ab Schrebero et Gmelino vocatae, antea accommodatum.

Obs. 3. Calydermos à *Physalidis* Genere differt calyce; corollâ campanulatâ, quinquelobâ; et baccâ exsuccâ, 3-4-5-loculari.

CALYDERMOS EROSUS.

1. C. caule pentagono, foliis ovatis eroso-angulatis, pedunculis unifloris erectis, fructibus cernuis.

ATROPA (*physalodes*) caule herbaceo, foliis sinuato-angulatis, calycibus clausis acutangulis. LINN. *Sp. pl. t. 1. p. 505.*

ATROPA physalodes. JACQ. *Obs. 4. p. 12. tab. 98.*

ALKEKENGI amplo flore violaceo. FEW. *Per. Obs. tom. 2. p. 724. pl. 16.*

NICANDRA. ANT. LAUR. JUSS. *Gen. pl. p. 125.*

PLANTA herbacea, quadripedalis, glabra, annua.

RADIX ramosa, fibrosissima.

CAULIS erectus, obtusè pentagonus, sulcatus, supernè ramosissimus, dichotomus.

RAMI è singula dichotomia tres, rarius duo, consimiles.

FOLIA alterna, solitaria, nonnulla gemina, ovata, eroso-angulata, valde venosa, per petiolum decurrentia.

PETIOLI ad basim utrinque maculâ purpureo-violaceâ notati.

PEDUNCULI ex dichotomiis et lateribus petiolorum, solitarii, uniflori, nudi, in flore erecti, in fructu cernui.

CALYX in flore viridis, in fructu helvolus, maximus, venoso-reticulatus, membranaceus, subscariosus.

COROLLA calyce duplò major. *Tubus* albus, intus caeruleus. *Limbus* violaceus.

BACCA lutescens, parvae nucis moschatae magnitudine.

SEMINA fulva, parva, scabriuscula.

HABITAT in segetibus, ruderatis et versuris *Limae*, *Chancay* et *Huanuci.*

FLORET in toto anno.

VERNACULE Capulí Cimarron, et in Huanuco *Ccarapamacmam*, id est, *Jarrito*, sive *Orzita de pellejo.*

ATROPA. LINN. *Gen. pl. pag.* 134.

ATROPA UMBELLATA. ICON. CLXXXI. *Fig. a.*

1. A. caule frutescente, foliis ovatis cordatisque integerrimis et angulatis, floribus umbellatis, corollis revolutis.

PLANTA frutescens, quadripedalis.

CAULIS erectus, ramosus, flexuosus, fragilis, glaber, teres, dichotomus.

RAMI dichotomi, consimiles.

FOLIA alterna, solitaria geminaque, petiolata, venosa, obsoletè pubescentia: *inferiora* ovato-cordata, angulata; *superiora* ovata, integerrima.

PEDUNCULI axillares, solitarii, breves, multiflori, dependentes.

FLORES 7-12ni, pedicellati.

PEDICELLI inaequales, graciles, vix pubescentes.

CALYX levissime pubescens, profunde quinquefidus: *laciniis* acutis.

COROLLA in fundo mellifera, calyce triplò major. *Tubus* cylindricus, obscurè purpureus. *Limbus* patens, profunde quinquefidus, revolutus, luteus.

STAMINA tubo corollae breviora.

STYLUS longitudine corollae. *Stigma* capitatum.

BACCA globosa, alba, pisi magnitudine.

SEMINA lutescentia, parva.

HABITAT in collibus et praeruptis *Chancay*, *Limae* et *Lurin.*

FLORET Octobri, et Novembri.

ATROPA BIFLORA. ICON. CLXXXI. *Fig. b.*

2. A. caule fruticoso, foliis ovatis acutis integerrimis, pedunculis bifloris, staminibus corollâ longioribus.

PLANTA fruticosa, leviter pubescens, bipedalis.

CAULIS erectus, ramosus, teres, infernè glaber.

RAMI nutantes; *teneri* subangulati.

FOLIA alterna, petiolata, ovata, acuta, integerrima, venosa: *inferiora* solitaria: *superiora* gemina; altero paulò majori.

PEDUNCULI interfoliacei aut laterales, solitarii, bifidi, biflori, foliis breviores.

FLORES cernui; altero praecotiori.

CALYX quinquefidus, vix pentagonus: *laciniis* acutis, patulis.

COROLLA calyce triplò longior, suburceolata, longitudinaliter striata, extus villosa. *Tubus* albo-viridis, aliquando purpurascens. *Limbus* luteo-viridis, quinquepartitus: *laciniis* erectis, acutis.

Filamenta corollâ longiora. *Antherae* ovatae, dilute caeruleae.
Stigma bilobum, caeruleum.
Bacca subrotunda, depressiuscula, alba, pisi magnitudine, in calyce patenti.
Semina parva, lutescentia.
Habitat in praeruptis et locis humidis *Tarmae*, *Cantae* et *Huarocherí* versus *Huassahuassi*, *Culluay* et *Div. Joannis de Matucana* vicos.
Floret Novembri, et Decembri.

ATROPA bicolor.

3. A. caule fruticoso, foliis ovatis angulatis, pedunculis 3-4floris, corollâ rubro-viridi.
Planta fruticosa, orgyalis.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami consimiles: *teneri* angulati.
Folia alterna, petiolata, solitaria geminaque, ovata, acuta, angulata, glabra.
Pedunculi axillares, teretes, tri-quadriflori.
Corolla tubulosa, obscurè rubra; limbo viridi.
Habitat in umbrosis *Huarocherí* versus *S. Matthaei*, *Surco* et *S. Joannis de Matucana* vicos.
Floret Martio, et Aprili.

ATROPA aspera.

4. A. caule herbaceo, foliis ovatis geminis; altero minori, floribus solitariis cernuis, corollis subdecemfidis.
Planta herbacea, hirsuta, aspera, ferè bipedalis.
Caulis erectus, angulatus, dichotomus, purpurascens.
Rami consimiles.
Folia gemina, petiolata, ovata oblongo-lanceolataque, integerrima, subrepanda: altero minori.
Flores interfoliacei, et ex dichotomiis, solitarii, pedunculati, cernui.
Corolla luteo-caerulea, in centro violacea, campanulata, patens, vix decemfida: *laciniis quinque* alternis acutis; *alteris quinque* emarginatis.
Filamenta hirsuta, violacea.
Bacca alba, pisi magnitudine.
Semina fulvescentia.
Habitat in collibus *Limae* nominatis *Amancaes*.
Floret Octobri, et Novembri.

LYCIUM. Linn. *Gen. pl. pag.* 136.

LYCIUM umbellatum. Icon. CLXXXII. *Fig. b.*

1. L. inerme, foliis oblongo-lanceolatis, pedunculis rameis, floribus umbellatis, calycibus pentagonis.
Planta frutescens, triorgyalis.
Caulis erectus, infernè ramosissimus, teres, granulis adspersus.
Rami erecto-patuli, teretes, granulosi: *teneri* sublanuginosi.
Folia alterna, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, ferè bipalmaria, integerrima, patentia, supra glabra, subtus vix pulverulenta: ex axillis *Gemma* diphylla; *foliolis* retroflexis, ovatis, inaequalibus.
Pedunculi ramei, breves, multiflori.
Flores longè pedicellati, umbellati, pedicellis inaequalibus, supernè incrassatis.
Calyx quinqueangulatus, quinquefidus: *laciniis* acuminatis.
Corolla violacea, calyce quadruplò longior. *Limbus* leviter plicatus, patens: *laciniis* acutis, vix reflexis.
Filamenta subulata, medio tubi inserta, glabra, deorsum decurrentia.
Germen obtusè pentagonum. *Stylus* staminibus brevior. *Stigma* vix emarginatum.
Bacca pisi magnitudine, aurantii coloris, unilocularis, polysperma.
Semina parva, lutescentia, reniformia, compressa, nidulantia.
Habitat in sepibus et versuris ad *Obragillo*, Provinciae *Cantae* vicum.
Floret toto anno.
Vernacule Mancapaqui, id est, *Quiebra Ollas*.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum cum stigmate bifido. 4 Idem cum stigmate trifido. 5 Bacca.

LYCIUM aggregatum. Icon. CLXXXII. *Fig. a.*

2. L. inerme, foliis oblongis acutis undulatis subtus tomentosis, floribus axillaribus aggregatis numerosissimis.
Frutex biorgyalis, leviter tomentosus, canescens, inermis.
Caulis erectus, teres, medullosus, aliquando granulosus, ramosus, in florescentia ferè defoliatus.
Rami patuli, consimiles.
Folia primum fasciculata, inaequalia, tandem sparsa, petiolata, oblonga, acuta, undulata, integerrima, subtus tomentosa, incana, supra glabra, utrinque venosa; *majora* bipalmaria.
Flores ex gemmis et anulis anni praecedentis, numerosi, aggregati, manè noctuque valdè fragrantes, pedicellati.
Pedicelli graciles, supra incrassati, inaequales.
Calyx parvus, quinquecrenatus, crescens.
Corolla alba, calyce quadruplò major. *Tubus* brevis, rectus. *Faux* sensim ampliata. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, reflexis, maculâ viridi notatis.
Filamenta subulata, è medio tubi, longitudine corollae, imberbia. *Antherae* ovatae, basi excavatae, luteae.
Stylus declinatus. *Stigma* vix emarginatum.
Bacca globosa, pisi magnitudine, aurantii coloris, biloculari, nitida.
Semina reniformia, lutescentia, minima.
Habitat passim in *Limae*, *Chancay*, *Cantae* et *Huanuci* vallibus et praeruptis, ad sepes et versuras.
Floret toto anno.
Vernacule Mancapaqui, *Quiebra Ollas* et *Mullaca*.
Usus: Lignum in foco cum strepitu comburitur, et ollas de-

jicit conquassatque, unde nomen *Quiebra Ollas* accepit.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum in receptaculo. 4 Bacca cum calyce.

LYCIUM spathulatum. Icon. CLXXXIII. *Fig. b.*

3. L. inerme foliis obovato-spathulatis, floribus fasciculatis axillaribus.
Frutex biorgyalis, inermis, glaber.
Caulis erectus, teres, ramosissimus.
Rami patentissimi, consimiles: *teneri* obsoletè angulati.
Folia fasciculata, inaequalia, postea alterna, petiolata, obovato-spathulata oblongaque, obtusa, integerrima, utrinque nitida: *majora* bipollicaria.
Pedunculi fasciculati, è singulis punctis gemmaceis plures, inaequales, uniflori, teretes, tenues, supernè crassiores, erecti.
Calyx truncatus, leviter quinquedentatus, in fructu quinquecrenatus.
Corolla tubulosa, calyce quintuplò major, supernè sensim ampliata, violacea; limbo quinquefido, pubescente.
Filamenta subulata, ultra basim inserta, infernè pubescentia, corollae tubo breviora. *Antherae* ovatae, basi excavatae, luteo-violaceae.
Stylus longitudine staminum.
Bacca rubro-lutea, pisi magnitudine.
Semina parva, lutescentia.
Habitat passim in circuitu et sepibus *Huanuci* urbis.
Floret Majo, Junio et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Bacca in calyce per medium secta. 6 Semina.

LYCIUM obovatum. Icon. CLXXXIII. *Fig. c.*

4. L. spinosum, foliis obovatis obtusissimis, spinis foliosis; vetustioribus nudis, floribus paucis nutantibus.
Frutex subbiorgyalis, spinosus, glaberrimus.
Caulis erectus, ramosissimus, teres, subcinereus.
Rami patentes, diffusi, consimiles.
Spinae solitariae, rigidae, saepe foliiferae et floriferae.
Folia fasciculata, inaequalia, postea sparsa, petiolata, obovata, obtusissima, integerrima, leviter venosa, crassiuscula.
Pedunculi solitarii, axillares, uniflori, graciles, supernè incrassati.
Flores cernui.
Calyx corollâ sextuplò brevior, quinquecrenatus: *crenaturis* cum minimo acumine.
Corolla purpureo-violacea, tubulosa: *limbo* quinquefido, pubescente, patulo.
Stamina corollae longitudine, ultra basim inserta.
Stylus corollâ longior.
Bacca aurantii coloris, ciceris parvi magnitudine.
Semina parva, fulvescentia.
Habitat in circuitu et sepibus *Tarmae* oppidi.
Floret Majo, Junio et Julio.
Vulgo: *Espino.*
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum.

LYCIUM salsum. Icon. CLXXXIII. *Fig. a.*

5. L. spinosum ramis gracilibus, spinis foliosis, foliis obovato-oblongis sessilibus, floribus solitariis.
Frutex biorgyalis, spinosus, salsus.
Caulis erectus, ramosissimus, teres, cinereo-pallescens.
Rami sparsi, longissimi, dependentes, leviter striati, graciles, spinâ terminati.
Spinae sparsae, patulae, longae, foliosae, floriferae, spinulis rigidis saepè onustae.
Folia fasciculata, inaequalia, postea sparsa, retroflexa, sessilia, crassiuscula, obovato-oblonga, integerrima, avenia.
Pedunculi è punctis gemmaceis, solitarii, teretes, uniflori, breves, supernè incrassati.
Flores penduli, parvi.
Calyx parvus, quinquedentatus.
Corolla infundibuliformis, albo-purpurea. *Tubus* brevis, angustus. *Faux* sensim ampliata, villosa. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* oblongis, obtusis, reflexis, venosis.
Filamenta coarctationi tubi inserta, longitudine corollae. *Antherae* ovatae, basi vix excavatae.
Stylus staminibus paulò brevior.
Bacca ferè exsucca, bilocularis, oblongo-ovata, acuminata.
Semina minuta, compressa, subtrigona, libera, luteo-fusca.
Habitat in *Peruviae* littoribus ad *Lurin* sepes.
Floret Decembri, et Januario.
Vernacule Cachicasa, id est, *Espino salado.*

CERDANA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p. 37.*

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* tubulatum, decemstriatum, quinquedentatum: inferum, persistens.
Cor. infundibuliformis, marcescens, persistens. *Tubus* longitudine calycis. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* oblongis, patentibus.
Nectarium minimum, cyathiforme, quinquecrenatum, germen ambiens.
Stam. *Filamenta* quinque, subulata, fauci corollae inserta, basi hirsuta, laciniarum longitudine. *Antherae* oblongae, basi bifidae, versatiles, biloculares.
Pist. *Germen* oblongum. *Stylus* filiformis, bifidus, staminibus brevior. *Stigmata* duo, oblonga, bipartita.
Per. oblongum, striatum, calyce et corollâ tectum, quadriloculare.
Sem. solitaria, oblonga.
Obs. 1. Corolla germine adulto pentapetala apparet, et Germen ipsum loculamentum unum, alterumve amittit.
Obs. 2. Pericarpium immaturum offendimus.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Pericarpium tetraspermum. *Calyx* tubulosus, decemstriatus. *Corolla* infundibuliformis; *limbo* quinquepartito. *Filamenta* fauci corollae inserta. *Nectarium* germen ambiens. *Stigmata* duo, bipartita.

CERDANA ALLIODORA. Icon. CLXXXIV.

1. C. foliis oblongis ovatisque, floribus paniculatis.
Arbor subquadragintaulnaris, frondosissima, glabra.
Truncus erectus, rectus, teres, cinereus.
Rami teretes: *teneri* virides, nitidi.
Folia alterna, petiolata, oblonga ovataque, acuminata, integerrima, plana, subtus venosa, submembranacea, utrinque nitida, utplurimum sesquipalmaria.
Petioli semiteretes, breves.
Racemi terminales, maximi, decompositi, ferè paniculati.
Calyx submembranaceus.
Corolla alba, venosiuscula, marcida ferruginei coloris.
Nectarium luteum.
Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *Pozuzo* et *Muña* vicos, in tractu de la *Cormilla* et ad *Sancti Antonii de Playa grande* vicum. Duae arbores per nos è Peruvia translatae in Hort. Reg. Mat. laetè in caldario vegetant.
Floret Julio, et Augusto.
Vulgo: *Arbol del Ajo.*
Usus: Indi corticibus et foliis ad cibos condiendos utuntur.
Obs. Cùm hujusmodi arbores secantur, odorem gravissimum emittunt, et penetrantissimum, qui oculorum aciem perstringit. Cortices recenter evulsi odorem valde foetidum, vulpis urinae haud multum absimilem, spirant; postea verò Folia, uti etiam Cortex, allium maximè redolent, unde nomen ab Incolis Arbor accepit. Quaedam exiguae Formicae, quarum punctio acrem intolerabilemque pruriginem diu persistentem excitat, frequenter has arbores infestantes folia devorant, ita ut vix ulla inveniri possint integra.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem scissa cum eisdem. 5 Nectarium. 6 Pistillum. 7 Flos marcidus. 8 Pistillum adultum. 9 Germen adultum transversim sectum loculamenta ostendens. 10 Seminum rudimenta.

JUANULLOA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 27. Icon. IV.

JUANULLOA PARASITICA. Icon. CLXXXV.

1. J. foliis oblongis acuminatis, racemis dependentibus dichotomis.
Planta frutescens, parasitica.
Radix fibrosa.
Caules plures, dependentes, teretes, parum ramosi, in florescentiae tempore foliis ferè nudi.
Rami consimiles: *teneri* medullosi, purpurascentes.
Folia quinque, sexve ex eodem puncto gemmaceo, postea alterna, petiolata, oblonga, acuminata, subrepanda, integerrima, subtus albicantia, crassiuscula, parum venosa.
Petioli teretes, supernè sulcati, basi vix curvati, foliis duplò breviores.
Racemi terminales rameique, dependentes, dichotomi.
Pedicelli breves, teretes.
Calyx, *Corolla*, et *Bacca* punicei coloris.
Bacca magni cerasi magnitudine.
Semina violacea, nidulantia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *Pozuzo* et *Sancti Antonii de Playa grande* vicos supra truncos arborum.
Floret Augusto, et Septembri.
Obs. Sapor foliorum asper, et parum adstringens est.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Stamina tubo corollae affixa. 4 Pistillum. 5 Bacca in receptaculo. 6 Eadem transversim secta loculamenta ostendens. 7 Semen.

DESFONTAINIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 29. Icon. V.

DESFONTAINIA SPINOSA. Icon. CLXXXVI.

1. D. foliis ovatis dentato-spinosis, floribus solitariis.
Frutex biorgyalis, glaberrimus.
Caulis erectus, ramosissimus, teres, cortice cinereo, secedente obtectus.
Rami brachiati, tanquam cauli infixi, ferè articulati, cinereo-lutei.
Folia petiolata, opposita, patentia, ovata, dentato-spinosa, coriacea, supra nitida, venosa.
Petioli breves, velut ramis infixi.
Pedunculi axillares, striati, petiolis longiores, uniflori.
Calyx villosus, corollâ triplò brevior.
Corolla pollicaris, coccinea. *Limbus* internè lutescens.
Bacca alba, parvi pruni magnitudine.
Semina fusca, nitida.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Churupallana* praedium in Provincia *Tarma*, et inter *Muña* et *Pozuzo*.
Floret Octobri, et Novembri.
Obs. Sapor foliorum amarissimus, ad *Gentianam* accedens. *Folia* masticata papyrum luteo colore tingunt. *Frutex* ad sepes conficiendas perutilis, et ob florum pulchritudinem ad hortorum ornamentum adhiberi dignus.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum. 4 Bacca cum calyce transversim secta loculamenta ostendens. 5 Semina.

NYCTERISITION. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 30. Icon. V.

NYCTERISITION FERRUGINEUM. Ic. CLXXXVII.

1. N. foliis oblongo-ovatis, floribus aggregatis.
Arbor quadragintaulnaris, frondosa.
Truncus erectus, rectus, crassus, subferrugineus.
Rami patentes, teretes, cinerei; *superiores* erecto-patuli, ferruginei.

Folia sparsa, oblongo-ovata, subacuminata, acumine emarginato, petiolata, integerrima, subcarinata, horizontaliter venosa; supra nitidissima, glaberrima; subtus sericea, ferruginea, splendentia.

Flores axillares, aggregati, breviter pedicellati, ferè viginti ex singula axilla.

Calyces sericei, ferruginei coloris.

Corolla albo-lutea, extus ferruginea, pubescens.

Germina tomentosa, fulvescentia.

Habitat in *Cuchero*, *Chinchao* et *Pillao* ad *Chacahuassi* nemoribus imis et calidis.

Floret Octobri, et Novembri.

Vernacule Chichimicuna, id est, *Vespertilionum cibus*.

Obs. Lignum durissimum et fulvi coloris est. Arbor incisa succum lacteum exsudat, qui aëri expositus sanguineum colorem acquirit. Sapor foliorum subadstringens est.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem scissa cum staminibus. 4 Stamina. 5 Pistillum.

SAMOLUS. Linn. *Gen. plant. pag.* 119.

SAMOLUS valerandi.

Samolus. Linn. *Sp. pl. tom. 1. pag. 472.*

Planta herbacea, bipedalis, glabra.

Caulis erectus, ramosus.

Rami virgati, interdum procumbentes, radicantes.

Folia integerrima, crassiuscula: *radicalia* obovato-spathulata, bipalmaria; *caulina* oblonga ovaliaque.

Panicula longissima, erecta.

Pedicelli ultra medium bracteolâ lineari-lanceolatâ stipati.

Corolla alba, aliquando albo-caerulea.

Habitat in *Limae*, *Chancay*, *Huanuci* et *Chilensis Regni* locis humidis et scaturiginibus.

Floret toto anno in *Peruvia*.

LYGODISODEA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. pag.* 32. Icon. V.

LYGODISODEA foetida. Ic. CLXXXVIII. *Fig. b.*

1. L. foliis cordatis acutissimis, caule volubili.

Planta fruticosa, volubilis, foetida.

Caulis longissimus, valde ramosus, alternatim compressus et sulcatus.

Rami brachiati, teretes, funiculiformes.

Folia opposita, petiolata, cordata, acutissima, integerrima.

Petioli lateraliter reflexi, breves.

Stipulae interfoliaceae, ovatae, acutae.

Pedunculi axillares, folio dimidiò breviores, brachiati, multiflori, subcorymbosi.

Pedunculi et *Pedicelli* bracteolis ovatis, acuminatis suffulti.

Corolla albo-purpurea, calyce multò longior.

Capsula pallescens.

Semina nigra, margine albo cincta.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* et *Pozuzo* vicos.

Floret Julio, et Augusto.

Vernacule Yurahuanium, id est, *Bejuco blanco*.

Usus: Indi ad trabes loco funium hujus caule ligandas, et ad alios usus utuntur.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum cum calyce. 5 Capsula basi hians. 6 Semina receptaculo utrinque affixa. 7 Semina libera.

MACROCNEMUM. Linn. *Gen. pl. pag.* 120.

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* campanulato-cyathiforme, quinquecrenatum; *crenaturis* subrotundis, erectis: superum, deciduum.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* parum curvatus, calyce paulò longior. *Faux* dilatata. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus, apice incrassatis.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, compressa, fauci inserta, basi villosa, corollâ breviora. *Antherae* oblongae, lineares, incumbentes, basi bifidae, biloculares, corollae longitudine.

Pist. *Germen* turbinatum. *Stylus* filiformis, declinatus, longitudine staminum. *Stigma* bilobum: *lobis* lanceolatis, compressis.

Per. *Capsula* turbinata, truncata, compressiuscula, umbilicata, utrinque sulcata, striata, apice longitudinaliter dehiscens, bilocularis, bivalvis: *valvulis* duplicatis; *exterioribus* corticosis, integris; *interioribus* callosis, bipartibilibus, carinatis. *Dissepimentum* contrarium.

Sem. plurima, minima, cuneiformia, margine obsoleto cincta. *Receptacula* obovata, cymbaeformia, callosa.

MACROCNEMUM corymbosum. Icon. CLXXXIX.

1. M. foliis ovato-oblongis basi excavatis carinatis sessilibus plicatis coriaceis, corymbis magnis.

Frutex utplurimum quadriulnaris.

Caules plures, simplices, erecti, infernè nudi, supernè foliosi, teretes, saepè granulis adspersi, colore cinereo-fusco variegati.

Folia opposita, horizontalia, sessilia, pedalia et ultra, ampla, ovato-oblonga, basi excavata, carinata, plicata, lineata, integerrima, coriacea, supra nitida, venosissima.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, bipartitae: *laciniis* lanceolatis, acutissimis, erectis, adpressis, membranaceis, lineatis.

Corymbi terminales, magni, brachiati, multiflori.

Pedunculi et *Pedicelli* bracteolis lanceolatis, acutis, minimis sustentati.

Calyx purpurascens, ad basim utplurimum granulosus, coriaceus.

Corolla crassa, intus albida, extus obscure purpurea, fauce villosa.

Capsula fusco-purpurascens, tandem atra.

Semina fulvescentia.

Habitat in *Andium* collibus et runcationibus calidis, versus *Chinchao*, *Acomayo*, *Pillao* et *Muña* vicos.

Floret à Junio ad Septembrem.

Vernacule Ccaratu, id est, *Cuero de Vaca.*

Obs. Quamvis Cortex parum amarus sit, Collectores tamen *Cinchonarum* Corticis illum admiscere solent, quae fraus facilè dignosci potest colore *Macrocnemi* corticum intus albo, et sapore amariusculo, viscido.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum. 4 Capsula aperta. 5 Receptacula extus et intus conspecta. 6 Semina.

MACROCNEMUM MICROCARPON. Ic. CLXXXVIII. *Fig. a.*

2. M. foliis oblongis obtusè acuminatis subtus pubescentibus, racemis terminalibus, floribus congestis sessilibus.

Frutex quadriorgyalis.

Caulis erectus, teres, supernè ramosus, fusco-nigrescens.

Rami consimiles, fusci: *juniores* foliosi, vix striati, obsoletè angulati, obscurè purpurei.

Folia opposita, petiolata, patentia, oblonga, nonnulla oblongo-obovata, obtusè acuminata, integerrima, supra glabra, nitida, subtus pubescentia, venosa; venis inflexis.

Petioli pubescentes, breves.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, bipartitae: *laciniis* acutis, petiolis dimidiò brevioribus, adpressis, membranaceis.

Racemi terminales, tripalmares, compositi.

Pedunculi brachiati, bracteis subulatis sustentati.

Flores congesti, sessiles, bracteolis ovatis, acutis distincti.

Calyx parvus, quinquedentatus, deciduus.

Corolla alba, calyce quadruplò major: *laciniis* reflexis.

Capsula turbinata, parva.

Semina minutissima, fulvescentia.

Habitat in *Chinchao* et *Cuchero* nemoribus imis calidis per runcationes.

Floret Junio, et Julio.

Explic. Icon. 1 Corolla cum staminibus. 2 Eadem scissa, stamina ostendens. 3 Pistillum cum calyce. 4 Capsula aperta. 5 Semina.

MACROCNEMUM VENOSUM. Icon. CXC. *Fig. b.*

3. M. foliis oblongis acuminatis venosissimis lineatis, nervo venisque pubescentibus, racemis terminalibus, floribus sessilibus.

Frutex biorgyalis.

Caulis erectus, parum ramosus, teres, glaber.

Rami teneri, obsoletè tetragoni.

Folia opposita, petiolata, oblonga, acumine acuto, integerrima, venosissima, supra lineata, subtus reticulata, dorso venisque pubescentia, ferè tripalmaria.

Stipulae interfoliaceae, bipartitae: *laciniis* lanceolatis, acutissimis, adpressis, petiolis duplò longioribus, membranaceis, striatis, rubescentibus.

Racemi terminales, brachiati, multiflori, compositi, pubescentes.

Pedunculi bracteolis subulatis suffulti.

Flores sessiles, parvi.

Calyx minimus.

Corolla alba, parva.

Habitat in *Peruviae* nemoribus imis calidis, versùs *Acomayo* et *Pati* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Obs. Pericarpium non offendimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum cum calyce.

PORTLANDIA. Linn. *Gen. plant. pag.* 121.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* subulatis, patulis; superum, persistens.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* erectus, calyce multò longior. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* oblongis, patenti-deflexis.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, basi corollae inserta, tubo longiora. *Antherae* erectae, lineares, ferè tetragonae, biloculares, corollâ longiores, divergentes.

Pist. *Germen* turbinatum, leviter angulatum. *Stylus* filiformis, angulosus, staminum longitudine, erectus. *Stigma* lineare, obtusum, obsoletè emarginatum.

Per. *Capsula* turbinata, didyma, bisulca, longitudinaliter nervosa, compressiuscula, calyce coronata, bilocularis, apice bivalvis: *valvulis* duplicatis, bifidis: *interioribus* callosis. *Dissepimentum* contrarium.

Sem. plura, lentiformia, margine brevi, orbiculari, membranaceo cincta. *Receptaculo* oblongo, dissepimento utrinque adnato imbricata.

Obs. Ad hoc Genus referendas esse *Cinchonam corymbiferam* Forster, *caribaeam* Jacquin, *lineatam*, *floribundam*, *brachycarpam*, *angustifoliam*, *longifloram*, *spinosam* Vahl, et *Cinchonam philippicam* Cavanilles censemus.

PORTLANDIA CORYMBOSA. Icon. CXC. *Fig. a.*

1. P. floribus corymbosis, foliis ovatis acutis lanceolatisque, stipulis subovatis.

Frutex triorgyalis, glaber.

Caulis erectus, teres, supernè ramosus, cortice cinerescente, amarissimo.

Rami patentes, supernè foliosi, secundum articulationes compressiusculi, saepè granulosi.

Folia opposita, breviter petiolata, patentia, ovata, acuta lanceolataque, integerrima, supra nitida, subcoriacea.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, semicirculares, acuminatae, marcescentes, persistentes.

Corymbi terminales, brachiati, multiflori.

Pedicelli bracteolis subulatis suffulti.

Calyx tubo corollae duplò brevior.

Corolla candida, calyce 4plò longior. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* patentibus, tandem deflexis.

Capsula fusco-fulva, turbinata, compressiuscula, didyma, bisulca, decemnervis.

Semina fulvescentia, margine dilutiori cincta.

Habitat in *Andium* praeruptis et imis locis calidis, inter *Chaclla* et *Muña* vicos, praesertim versus *Santo Domingo* collem.

Floret Majo, et Junio.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum cum calyce. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Capsula calyce coronata. 5 Eadem aperta, à calyce et epidermide exteriori libera. 6 Receptaculum alterum cum seminibus. 7 Semina.

CINCHONA. Linn. *Gen. plantar. pag.* 121.

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* parvum, campanulatum, quinquedentatum: *denticulis* acutis, erectis; superum, persistens.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* calyce multò longior, cylindricus, vix curvatus. *Faux* subrotunda. *Limbus* planus, quinquepartitus: *laciniis* patentibus, ovato-lanceolatis, intus hirsutis.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, ferè medio tubi inserta, fauce breviora. *Antherae* inclusae, incumbentes, lineari-oblongae, basi bifidae, biloculares, longitudinaliter utrinque dehiscentes.

Pist. *Germen* oblongum, truncatum, parvum, obsoletè striatum, umbilicatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bilobum: *laciniis* oblongis, erectis.

Per. *Capsula* oblonga, obsoletè compressa, bisulca, decemstriata, coronata, umbilicata, bilocularis, bivalvis, sulco à basi ad apicem longitudinaliter utrinque dehiscens: *valvulis* margine extrorsum divergentibus, cymbiformibus, apice connexis, duplicatis; *exterioribus* corticosis, fragilibus, in siccitate ab interioribus defixis; *interioribus* integerrimis, callosis, nitidis, marginibus introflexis, dissepimentum constituentibus.

Sem. In singulo loculo numerosa, imbricata, ovalia, compressa, margine oblongo, membranoso, inaequaliter lacero, basi emarginato cincta. *Receptacula* linearia, utrinque acuta.

Obs. 1. Limbus *Cinchonae grandiflorae* glaber.

Obs. 2. Capsularum *Cinchon. grandiflorae* et *dichotomae* Valvulae post dehiscentiam supernè divergunt, et calyces *C. grandiflorae* adulto germine decidunt; reliquarum verò Specierum Valvulae usque ad decidentiam ferè apice connexae, calyce coronatae persistunt.

Obs. 3. Cinchonae Genus à *Portlandiae* et *Macrocnemi* Generibus, quibus magis affine est, differt *Filamentorum* et *Antherarum* insertione et longitudine; *Capsularum* structurâ et dehiscentiâ; *Valvularum* et *Seminum* figurâ, reliquisque notis minus insignibus, quae in Charactere generico consuli possunt

Habitus.

Arbores procerae aut humiles. *Trunci* solitarii, aut plures, erecti. *Rami* teretes, scabri, aut laeves, cicatriculis anularibus ab insertione stipularum provenientibus notati: *teneri* obtusè tetragoni, saepius sulcati. *Folia* opposita, petiolata, integerrima, venosa, supra nitida: *tenera* antice viscosa, adpressa. *Stipulae* interfoliaceae, oppositifoliae, supraxillares, basi connatae, subovatae, antice visco agglutinatae, caducae. *Panicula* terminalis, brachiata, foliosa, plerumque magna, subracemosa, vel *Inflorescentia* subcorymbosa. *Pedunculi* et *Pedicelli* tetrangulares. *Flores* breviter pedicellati. *Bracteae* parvae, deciduae. *Corollae* extus tomentosae, aut glabrae, limbo hirsuto aut rarius glabro. *Capsulae* leviter aut profundè striatae. *Semina* alâ utrinque elongatâ, lacerâ cincta. *Color* purpureus, frequens in paniculis et inferioribus venis foliorum. Materies lignosa sublutescens. Arbores undique incisae succum gumosum rubicundiusculum exudant, infernè disseccatae plures ramos emittunt.

CINCHONA nitida. Icon. CXCI.

1. C. foliis obovatis nitidis, paniculâ brachiatâ, corollis albo-purpureis; limbo parum hirsuto.

Cascarillo oficinal. Hip. Ruiz. *Quinolog. Art. II. p. 56.*

Arbor procera, 10-40ulnaris, glabra.

Trunci plures, 3 ad 5, aliquando solitarii, erecti, divergentes, stoloniferi, teretes. *Cortex* extus scaber, fusconigricans, saepè ex fusco et cinereo colore variegatus; intus obscurè fulvus, amarissimus, acidulus, non ingratus.

Rami *seniores* teretes, patentes, scabri, fusco-atri, cinereo colore variegati: *teneri* obtusè quadrangulares, fusci.

Folia opposita, petiolata, obovata, integerrima, nitidissima, plana, marginibus ad basim revolutis, subtus venosa, venis saepè purpurascentibus: *nonnulla* ovali-oblonga ovato-oblongaque, 1-2palmaria.

Petioli pollicares, subtus semiteretes, supra planiusculi, purpurei.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, basi coadunatae, oblongae, obtusae, caducae, intus rubescentes, marginibus reflexis.

Panicula terminalis, composita, subracemosa, rubescens, 2-3palmaris.

Pedunculi brachiati, tetragoni, multiflori.

Flores breviter pedicellati.

Pedicelli bracteolis subulatis stipati.

Calyx parvus, purpureus.

Corolla alba, extus dilute purpurea, vix semipollicaris. *Limbus* parum hirsutus.

Capsula oblonga, angusta, supernè attenuata, rubescens, coronata, decemstriata.

Semina ovalia, fulva, margine membranaceo, oblongo, helvolo, inaequaliter denticulato cincta.

Habitat in *Andium* montibus altis nemorosis frigidis ad *Pampamarca*, *Chacahuassi*, *Casape*, *Casapillo*, *Cayumba*, *Sapan*, *Cuchero* aliisque tractibus, et in montibus Provinciarum *Huamalies*, *Tarmae* et *Xauxae*.

Floret Majo, Junio et Julio.
Vulgo: *Cascarillo fino* et *Quino fino.*
Vires: Antifebrilis, tonica, adstringens, roborans, stomachica, antiseptica, suppurationem promovens.
Obs. 1. In Provinciis *Huanuci*, *Tarmae*, *Huamalies* et *Xauxae* haec Species pro vero, et genuino cortice Peruviano et majori pretio, quàm reliquae Species nostrae venundatur. An eadem cum *C. officinali*?
Obs. 2. Hanc Speciem mense Julio anni 1780 in *Cuchero* descripsimus.
Explic. Icon. 1 Semina.

CINCHONA hirsuta. Icon. CXCII.

2. C. foliis ovalibus crassis margine reflexis; terminalibus subcordatis, floribus corymbosis, corollis purpurascentibus tomentosis, limbo hirsuto.
Cascarillo delgado. Ruiz. *Quinolog. Art. III. p. 60.*
Arbor quinqueulnaris, tenuis.
Truncus solitarius, saepè plures, erecti, teretes, utplurimum sex-octove pollicum crassi, parum ramosi, atri. *Cortex* extus niger, ex fusco et cinereo colore variegatus, scaber; intus fulvus, amarissimus, acidulus, non ingratus.
Rami erecti, teretes: *juniores* obtusè quadrangulares, quadrisulcati, pubescentes, foliosi, post hirsutiei ferrugineae delapsum atri.
Folia opposita, approximata, petiolata, ovalia, crassa, subtus valde pubescentia, supra nitida, venosa, venis approximatis; marginibus parum reflexis; integerrima, patentiuscula, plana; *terminalia* et *juniora* plerumque ferè cordata; *nonnulla* oblonga.
Petioli purpurei, breves, pubescentes, supra leviter canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, basi coadunatae, ovatae, oblongae, obtusae, marginibus retroflexis, interius rubicundiores, caducae.
Pedunculi terminales, compositi, brachiati, tetragoni, quadrisulci, multiflori.
Flores corymboso-umbellati, breviter pedicellati.
Pedicelli tetragoni, bracteolâ subulatâ, deciduâ suffulti.
Calyx purpureus, quinquedentatus: *denticulis* subulatis, longiusculis.
Corolla purpurascens, calyce sextuplò longior, extus tomentosa. *Tubus* intus glaber. *Limbus* patens, hirsutissimus; villis albis.
Filamenta tubo corollae infra medium inserta, *Antherae* lineares, basi bifidae, faucis longitudine, luteae.
Capsula oblonga, magna, pollicaris, calyce coronata, profundè decemstriata, obscurè purpurea, post exsiccationem atra, à basi ad apicem dehiscens in duas valvulas cymbiformes, apice coalitas.
Semina fulva, membranâ scariosâ, helvolâ, latâ cincta.
Habitat in *Andium* montibus nemorosis, altis et frigidis locis versùs *Pillao* et *Acomayo.*
Floret à Majo ad Octobrem.
Vernacule Cascarillo fino delgado.
Usus: Haec Species à mercatoribus eodem ferè pretio aestimatur ac praecedens. Nos equidem efficacitate hanc illam aequare, seu etiam antecellere existimamus.
Obs. Anno 1787 hanc Speciem in *Pillao* locis altis descripsimus.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Capsula hians. 6 Semina.

CINCHONA lanceolata.

3. C. foliis lanceolato-oblongis glabris, paniculâ brachiatâ magnâ, floribus subcorymbosis, corollis roseo-purpureis, limbo hirsuto.
Cascarillo lampiño. Ruiz. *Quinolog. Art. IV. p. 64.*
Arbor sexorgyalis, glaber; comâ frondosiusculâ, patulâ.
Truncus solitarius, saepè plures, erecti, teretes, crassi. *Cortex* extus fuscus, parum variegatus, vix scaber; intus lutescens, praecedentibus et sequentibus amarior, acidulus, non ingratus.
Rami teretes, erecto-patuli: *juniores* foliosi, obtusè tetragoni, secundum articulationes vix compressiusculi.
Folia opposita, petiolata, lanceolato-oblonga ovali-oblongaque, integerrima, plana, patentia, utrinque-glaberrima, subtus venosa, venis purpureis.
Petioli semipollicares, purpurascentes.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, ovatae, obtusae, planae, adpressae, basi coadunatae, caducae.
Panicula terminalis, magna, brachiata, composita, foliifera.
Pedunculi multiflori, subcorymbosi.
Pedicelli *bracteolis* subulatis, deciduis suffulti.
Calyx purpurascens, brevis, quinquedentatus, persistens.
Corolla roseo-purpurea. *Limbus* hirsutus, patens.
Stamina infra medium tubi inserta, basi hirsuta.
Capsula oblonga, angusta, ferè pollicaris, leviter striata, calyce coronata, à basi ad apicem hians, rubro-fusca.
Semina ovalia, fulvescentia, margine oblongo, helvolo, membranaceo, obsoletè lacero-dentato cincta.
Habitat in *Andium* montibus altis frigidis et nemorosis ad *Muña*, *Panao*, *Pillao* et *Cuchero* tractus.
Floret à Majo ad Octobrem.
Vernacule: *Cascarillo bobo amarillo*, sive *Quino bobo amarillo* propter Corticum colorem internum.
Obs. 1. Cortices saporem et colorem *Quinae* de *Calisaya* nuncupatae maximè aemulantur.
Obs. 2. Hujus Speciei Iconem in hoc Volumine repraesentare non possumus, cujus scilicet Imaginis jacturam fecimus in toties deplorato Navis Alcantarensis naufragio: verum, ubi à Tafalla nostro novam ejusdem plantae figuram, quam ab eo petiimus, acceperimus, ipsam confestim in lucem edemus.
Obs. 3. In montibus *Muña* hanc Cinchonam anno 1786 offendimus.

CINCHONA *purpurea.* Icon. CXCIII.

4. C. foliis oblongo-ovalibus ovatisque purpurascentibus, paniculâ brachiatâ magnâ, floribus subcorymbosis, corollis albo-purpureis, limbo hirsuto albo.

Cascarillo morado. Ruiz. *Quinolog. Art. V. p. 67.*

Arbor quadriorgyalis; comâ frondosiusculâ, patulâ.

Truncus solitarius, erectus, teres, parum crassus. *Cortex* extus fuscus, laevis; intus dilute fulvus, amarus, acidulus, non ingratus.

Rami teretes: *juniores* quadrangulares, glabri, foliosi, sulcati.

Folia opposita, petiolata, patentia, plana, utplurimum tripalmaria, oblongo-ovalia ovataque, integerrima, supra nitida, subtus venosa, purpurea; *tenera* inferius pubescentia; *adulta* utrinque glabra.

Petioli semiteretes, pollicares, purpurei.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, basi connatae, ovato-cordatae, obtusae, adpressae, caducae.

Panicula terminalis, foliosa, subracemosa, magna.

Pedunculi brachiati, longi, tetragoni, compressi.

Flores corymbosi, breviter pedicellati.

Pedunculi et *Pedicelli* bracteolis subulatis, deciduis stipati.

Calyx minimus, quinquedentatus, obscurè purpureus.

Corolla extus leviter tomentosa. *Tubus* dilute ruber. *Limbus* supra hirsutus, albus, infra purpurascens: *laciniis* patentissimis, apice vix reflexis.

Filamenta infra medium tubi inserta, brevia. *Antherae* lineares, basi bifidae, inclusae.

Germen tomentosum.

Capsula oblonga, angusta, decemstriata, rubro-fusca, calyce coronata, à basi ad apicem hians.

Semina fulva, alâ lineari utrinque acutâ, lacerâ, fulvescenti cincta.

Habitat in *Andium* montibus imis nemorosis et nocte frigidiusculis passim ad *Chinchao*, *Pati*, *Muña*, *Iscutunam*, *Casape*, *Casapillo* et *Chihuamccala* tractus.

Floret à Majo ad Septembrem.

Vernacule *Cascarillo bobo de hoja morada.*

Obs. Hanc Speciem in *Pati* montibus mense Julio anni 1780 primùm invenimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Capsula aperta. 7 Receptaculum cum seminibus. 8 Receptaculum alterum absque seminibus. 9 Semina.

CINCHONA *micrantha.* Icon. CXCIV.

5. C. foliis ovalibus obtusis, paniculâ maximâ, floribus numerosis parvis, corollis albis; limbo lanato.

Arbor viginti-triginta ulnaris; comâ frondosâ terminatus.

Truncus saepè solitarius, erectus, crassus, teres. *Cortex* scaber, fusco-cinereus, valde amarus, acidulus.

Rami patuli, teretes, cortice fusco-nigrescenti obducti: *teneri* foliosi, obtusè tetragoni, glabri.

Folia opposita, petiolata, *ovalia*, nonnulla ovali-obovata, integerrima, obtusa, obsoletè acuminata, ampla, patentia, plana, utplurimum quadripalmaria; supra nitida, glaberrima, subtus venosa, ad basim venarum leviter pubescentia: *venis* purpureis; *majoribus* alternis; *minoribus* interstinctis.

Petioli breves, vix pollicares, supra plano-canaliculati, subtus semiteretes.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, ovatae, connatae, caducae.

Panicula terminalis, maxima, subracemosa, foliosa, floridissima, tomentosa, subhelvola.

Pedunculi vix striati, tetragoni, compressiusculi, *communes* brachiati: *partiales* oppositi alternique; omnes bracteis ovato-subulatis, deciduis stipati.

Flores numerosi, in corymbos parvos, multifloros congesti, subsessiles, bracteis minimis, acutis suffulti.

Calyx minimus, quinquedentatus: *denticulis* acutis, dilute purpurascentibus.

Corolla parva, utplurimum trilinearis, extus tomentosa: *Limbus* patens, intus lanatus, albus, extus rubescens; *laciniis* parvis.

Filamenta brevia, infra medium tubi corollae inserta. *Antherae* lineares, filamentis longiores, inclusae.

Stylus longitudine ferè staminum. *Stigma* bilobum.

Capsula oblonga, acuta, leviter decemstriata, fusca, calyce coronata, à basi ad apicem dehiscens: *valvulis* apice coalitis, basi semotis.

Semina parva, fulva, alâ lineari, utrinque acutâ, inaequaliter lacerâ cincta.

Habitat in *Andium* montibus altis frigidis et nemorosis, versus vicum *Sancti Antonii de Playa grande*, ubi Joannes Tafalla anno 1797 eam observavit, et iconem cum nonnullis exemplaribus siccis et descriptionem nobiscum communicavit.

Floret Majo, Junio et Julio.

Vulgo: *Cascarillo fino* Incolae nuncupant.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum cum calyce. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Stamen. 6 Capsula. 7 Eadem aperta. 8 Semen.

CINCHONA *ovata.* Icon. CXCV.

6. C. foliis ovatis subtus tomentosis, paniculâ brachiatâ, floribus subcorymbosis, corollis purpureis; limbo hirsuto.

Cascarillo palido. Ruiz. *Quinolog. Art. VII. p. 74.*

Arbor sexorgyalis; comâ frondosâ, patente.

Truncus erectus, simplex, teres, ramosus. *Cortex* extus cinereo-lutescens, parum compactus, laevis, rarius variegatus, intus obscurè fulvus; amarissimus, acidulus, admodum ingratus, levis.

Rami *seniores* erecto-patentes, teretes: *juniores* obtusè quadrangulares, pubescentes, fusci, supernè foliosi.

Folia approximata, opposita, petiolata, ovata, ampla, integerrima, patentia, plana, supra nitidissima, subtus tomentosa, venosa, venis purpurascentibus: *tenerrima* utrinque tomentosa; *nonnulla* ovato-ovalia.

Petioli purpurei, sesquipollicares.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, magnae, basi connatae, adpressae, ovatae, obtusae, integerrimae, aveniae, virescentes, caducae.

Panicula terminalis, magna, foliosa, subracemosa, composita.

Pedunculi brachiati, longi, tetragoni, sulcati, multiflori.

Flores subcorymbosi, breviter pedicellati.

Pedicelli bracteolis subulatis, deciduis sustentati.

Calyx glaber, purpureus, quinquedentatus; *denticulis* parvis, acutis.

Corolla semipollicaris, extus purpurea, pubescens. *Limbus* patens, intus hirsutus, albus.

Filamenta infra medium tubi corollae inserta. *Antherae* lineares, basi bifidae, faucis longitudine.

Capsula oblonga, angusta, glabra, leviter striata, calyce coronata, à basi ad apicem dehiscens, bivalvis: *valvulis* cymbaeformibus, apice coalitis.

Semina fulva, alâ oblongâ leviter lacerâ, helvolâ cincta.

Habitat in *Andium* montibus imis nemorosis calidis versus *Pozuzo* et *Panao*.

Floret à Junio ad Octobrem.

Vernacule Cascarillo de Pata de Gallareta.

Obs. Hanc Speciem in *Pozuzo* et *Panao* anno 1784 offendimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Capsula aperta. 6 Receptaculum cum seminibus. 7 Receptaculum alterum absque seminibus. 8 Semina.

CINCHONA magnifolia. Icon. CXCVI.

7. C. foliis oblongis ovalibusque glabris, paniculâ brachiatâ, floribus subcorymbosis, corollis albis; limbo villosiusculo.

Cascarillo amarillo. Ruiz. *Quinolog. Art. VI. p. 71.*

Arbor ferè quadragintaulnaris, glabra; comâ valde frondosâ, erecto-patenti.

Truncus solitarius, erectus, teres. *Cortex* laeviusculus, fusco-cinereus, intus fulvus, amarus, acidulus, non ingratus.

Rami *seniores* teretes, laeves, fusci coloris: *juniores* obtusè tetragoni, foliosi, dilute rubescentes.

Folia opposita, petiolata, ampla, oblonga ovaliaque, integerrima, pallescentia, supra nitida, subtus venosa: venis inflexis purpurascentibus: ad basim venarum setis numerosis fasciculatis albidis: *majora* 1-2pedalia.

Petioli semiteretes, purpurei, 1-2pollicares.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, adpressae, basi coadunatae, obovatae, acuminatae, aveniae, caducae.

Panicula terminalis, erecta, maxima, composita, foliosa, ferè pedalis, subracemosa.

Pedunculi brachiati, longi, multiflori.

Flores subcorymbosi, pedicellati.

Pedicelli bracteâ, minimâ, ovatâ, acutâ, deciduâ stipati.

Calyx purpureus, quinquedentatus, parvus.

Corolla ferè pollicaris, odorata, alba. *Limbus* patens, intus parum hirsutus.

Filamenta infra medium tubi corollae inserta. *Antherae* intra faucem, oblongae, basi bifidae.

Capsula oblonga, magna, ferè sesquipollicaris, obsoletè striata, leviter curvata, calyce coronata.

Semina ovalia, fulva, margine oblongo, scarioso, fragili, inaequaliter lacerato cincta.

Habitat in *Andium* nemoribus calidissimis prope torrentes copiosè ad *Chinchao*, *Cuchero* et *Chacahuassi*.

Floret Majo, Junio et Julio.

Vernacule Flor de Azahar propter corollae odorem, *Citri Aurantii* florum odori simillimum. Hujus corticem *D. Sebastianus Josephus Lopez Ruiz* primus è Regno novo Granatensi in Hispaniam attulit, unde cum Galliae, Italiae et Angliae Academiis per clar. Casimirum Ortega communicatus est, ejusque usus variis experimentis institutis ubique propagatus.

Obs. Anno 1780 hanc Speciem in *Cuchero* descripsimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula.

CINCHONA dichotoma. Icon. CXCVII.

8. C. foliis oblongo-lanceolatis, pedunculis terminalibus dichotomis paucifloris, capsulis angustis linearibus longis.

Arbor triorgyalis, glabra.

Truncus erectus, teres, supernè ramosus. *Cortex* fuscus, scabriusculus, maculis albidis variegatus, amarissimus, ut reliquae arboris partes, acidulus non ingratus.

Rami teretes: *terminales* foliosi, obsoletè striati, secundum articulationes compressiusculi, oppositi, plerumque altero abortienti dichotomi.

Folia opposita, patentia, oblongo-lanceolata, plana, integerrima, venosa: *venis majoribus* suboppositis, incurvis; *minoribus* numerosis, ferè reticulatis.

Petioli breves, trilineares, supra planiusculi.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oblongo-obovatae, obtusae, petiolis longiores, aveniae, rubicundae, adpressae, basi coadunatae, caducae.

Pedunculi terminales, sesquipalmares, ferè vigintisexflori, divisi in dichotomias tres divergentes.

Flores secundi, breviter pedicellati, bracteis minimis deciduis suffulti.

Capsula linearis, infernè parum angustior, ferè bipollicaris, leviter striata, calyce coronata, bivalvis, apice ad basim dehiscens: *valvulis* cymbaeformibus, supernè divergentibus, integerrimis.

Semina numerosa, fusca, alâ lineari, angustâ, scariosâ, utrinque inaequaliter lacerâ cincta.

Habitat in *Andium* nemoribus versus *Pueblo nuevo* in *Chicoplaya* tractibus, ubi Joannes Tafalla Speciem detexit, et inde exemplaria sicca nobis anno 1797 missit.

Floret à Januario ad Aprilem.

Explic. Icon. 1 Germen calyce coronatum. 2 Semina.

CINCHONA GRANDIFLORA. Icon. CXCVIII.

9. C. foliis ovalibus obovatisque subaveniis coriaceis subtus albidis, corymbis terminalibus, corollis magnis glabris candidis.

Arbor triorgyalis, glaberrima.

Truncus erectus, teres, solitarius, aliquando plures, supernè ramosus. *Cortex* extus cinereo-fuscus, intus lutescens, amariusculus, sed praecedentibus multò minus.

Rami teretes, patuli: *teneri* obsoletè tetragoni, in summitatibus foliosi.

Folia opposita, parum approximata, petiolata, patentia, plana, ovalia obovataque, obtusissima, integerrima, coriacea, supra nitida dilute viridia, subtus albida: *venis partialibus* obsoletis; *majoribus* vix manifestis, erecto-inflexis.

Petioli sesquipollicares, supra obsoletè canaliculati.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, magnae, basi connatae, obovatae, obtusae, obsoletè striatae, caducae.

Corymbi terminales, foliosi, patuli, ferè trigintaflori.

Pedunculi brachiati, obsoletè quadrangulares.

Flores fragrantissimi, magni, pedicellati.

Pedicelli uniflori, aut biflori, furcati; *bracteolis* subulatis, deciduis stipati.

Calyx tubulosus, brevis, sesquilinearis, quinquedentatus: *denticulis* acutis, erectis; adulto germine deciduus.

Corolla candida, ferè tripollicaris, glabra, infundibuliformis. *Tubus* cylindricus, infernè vix pentagonus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, patentissimis, tandem reflexis.

Filamenta quinque, brevissima, tubo infra faucem inserta, linearia. *Antherae* incumbentes, lineares, basi bifidae, acutae, biloculares, intra faucem.

Germen oblongum. *Stylus* filiformis, antherarum ferè longitudine. *Stigma* bilobum: *lobis* oblongis.

Capsula subpalmaris, oblonga, basi angustata, bisulca, obsoletè striata, rudimento styli terminata, parum curvata, bilocularis, apice ad basim bivalvis: *valvulis* integerrimis, duplicatis, divergentibus, cymbaeformibus, tandem expansis: *exterioribus* corticosis, deciduis; *interioribus* callosis, extus nervosis: nervis filiformibus, secedentibus.

Semina numerosa, minima, fulva, alâ angustâ, lineari, utrinque acutâ, lacerâ, helvolâ cincta. *Receptaculum* magnum in singulo loculo, utrinque cum valvula sese convolvens.

Habitat in *Andium* nemoribus calidissimis, affatim ad *Pozuzo* fluvii margines; et in novo Regno Granatensi circa praedium *La Quebrada larga*, aliisque locis ejusdem Regni, in quibus *Mestiza*, *Azuzeno*, *Capecape*, *Capecito* et *Cape negro* Incolae nuncupant, teste D. D. Sebastiano Josepho Lopez Ruiz.

Floret à Januario ad Martium.

Obs. Anno 1784 ad *Pozuzo* ripas hanc Speciem deteximus, descripsimus et delineavimus.

Explic. Icon. 1 Calyx à germine liber. 2 Stamina tubo corollae inserta. 3 Pistillum. 4 Capsulae dimidia pars inferior transversim secta. 5 Semina.

CINCHONA ROSEA. Icon. CXCIX.

10. C. foliis oblongis obtusè acuminatis, paniculâ brachiatâ, floribus corymbosis, corollis roseis; limbo margine tomentoso.

Cascarillo pardo. Ruiz. *Quinolog. Art. VIII. p.* 77.

Arbor 3oulnaris, frondosissima, florescentiae tempore perpulchra.

Truncus solitarius, erectus, crassus, excavationibus alternis ferè tortuosus, ramosissimus. *Cortex* extus fuscus, laevis, ex fusco-cinereo variegatus; intus hepatici ferè coloris, valde adstringens, vix amarus.

Rami teretes: *teneri* secundum articulationes compressi, obsoletè quadrangulares, foliosi.

Folia opposita, petiolata, palmaria, oblonga, obtusè acuminata, integerrima, glabra, nitida, subtus venosa: *venis majoribus* alternis; *minoribus* interstinctis, tenuibus.

Petioli breves, parum curvati.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, obovatae, obtusae, basi connexae, aveniae, caducae, purpureae, extus pubescentes.

Panicula terminalis, erecta, brevis, composita, multiflora, subracemosa.

Pedunculi brachiati, pubescentes, ferruginei, compressi.

Flores subcorymbosi, breviter pedicellati.

Pedicelli et *Pedunculi* bracteolis parvis, ovatis, acutis, ferè connatis sustentati.

Calyx minimus, quinquedentatus, purpurascens.

Corolla quadrilinearis, rosea. *Tubus* subcylindricus, leviter curvatus. *Faux* glabra. *Limbus* patentissimus, tomentosus, disco glabro.

Filamenta subulata, declinata, basi hirsuta, infra medium tubi inserta. *Antherae* ovatae, basi bifidae, parvae, fauce parum exsertae.

Capsula bilocularis, vix curvata, calyce coronata.

Habitat in *Andium* nemoribus imis, copiosè ad *Pozuzo* et *S. Antonii de Playa grande* tractus.

Floret Julio, et Augusto.

Vernacule Asmonich'.

Usus: Feminae his floribus templa et Divorum simulacra ornant.

Obs. 1. Quaedam exiguae et ex rubro nigrescentes Formicae, *Trageneras*, id est convectores seu muliones ab incolis appellatae folia *Cinchonae roseae* avide appetunt, atque adeo sub arboris florescentiae initio ita ea perforant et comminunt, ut vix unum aut alterum folium integrum invenire liceat.

Obs. 2. Hanc Speciem anno 1784 adumbravimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Ea-

dem cum staminibus scissa. 5 Stamina. 6 Pistillum cum calyce. 7 Capsula calyce coronata.

SCHWENKFELDA. Linn. *Gen. pl. p.* 123.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* superum, quinquepartitum, persistens: *laciniis* lineari-subulatis, reflexis.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* longitudine ferè calycis. *Faux* villosa. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* lanceolatis, acutis, patentibus.

Stam. *Filamenta* quinque, brevissima, filiformia, tubo infra faucem inserta. *Antherae* lineares, basi bifidae, incumbentes, inclusae.

Pist. *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* quinque, acuta, longitudine ferè corollae.

Peric. *Bacca* globosa, pentagona, quinquelocularis, calyce coronata.

Sem. plurima, ovata, minima.

Obs. 1. Numerus stigmatum et capsulae loculamentorum saepè quaternarius.

Obs. 2. Cl. *Schreberus* Sabiceas *Aublet. Guyan. tab.* 75. *et* 76. quarum fructificationes cum nostrâ plantâ congruunt, ad *Schwenkfeldae* Genus retulit.

SCHWENKFELDA umbellata. Ic. CC. *Fig. a.*

1. S. foliis ovatis acutis, pedunculis axillaribus umbellatis.

Planta suffruticosa, volubilis, hispidula.

Caulis teres, ramosus, glaber.

Rami teretes: *teneri* hispidi.

Folia opposita, petiolata, ovata, acuta, integerrima, venosa, lineata, patentia, plana.

Petioli pollicares, supra leviter canaliculati.

Stipulae interfoliaceae, oppositae, ovatae, petiolis connatae, acutae, integerrimae, persistentes, striatae, magnae.

Pedunculi axillares, petiolis paulò longiores, patentes, solitarii.

Flores umbellati, involucrati, breviter pedicellati.

Umbella composita, trifida.

Involucrum diphyllum: *foliolis* ovato-lanceolatis, acutis, integerrimis, persistentibus.

Pedicelli bracteâ lineari-subulatâ, deciduâ suffulti.

Corolla alba.

Bacca hirsuta, albicans.

Semina minima, lutescentia.

Habitat in *Andium* nemoribus, ad *Cuchero*, *Macora* et *Chinchao* tractus.

Floret à Junio ad Septembrem.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Bacca calyce coronata. 6 Eadem transversim secta loculamenta ostendens. 7 Semina.

CAMPANULA. Linn. *Gen. pl. pag.* 117.

CAMPANULA filiformis. Icon. CC. *Fig. c.*

1. C. capsulis bilocularibus apice dehiscentibus, foliis linearibus; *inferioribus* denticulatis, floribus terminalibus ternatis.

Planta herbacea, pedalis, glabra, annua.

Radix filiformis, tortuosa, caulibus crassior, albidiuscula.

Caules plures, filiformes, erecti, graciles, teretes, striati.

Rami pauci, consimiles.

Folia alterna, distantia, linearia, erecta, sessilia; *inferiora* denticulata; *superiora* integerrima.

Pedunculi terminales, ternati, uniflori.

Calyx acutus, corollâ triplò brevior, patulus.

Corolla albo-caerulea.

Stigma bipartitum.

Capsula calyce paulò longior, bilocularis, imperforata, apice in duas valvulas dehiscens.

Semina numerosa, minima, nigra.

Habitat in aridis locis *Conceptionis Chile*, ad *Puntilla* et *Carcamo* tractus.

Floret Decembri, et Januario.

Vernacule Uñuperguen.

Usus: Infusum calidum flatus discutit.

Explic. Icon. 1 Capsula cum calyce. 2 Semina.

CAMPANULA biflora. Icon. CC. *Fig. b.*

2. C. capsulis trilocularibus, foliis ovatis sessilibus crenatis, floribus binis axillaribus sessilibus.

Planta herbacea, hispidula, subpedalis, annua.

Radix tenuis, fibrillosa, albidiuscula.

Caulis solitarius, rarius duo tresve, simplicissimus, filiformis, gracilis, angulatus, erectus.

Folia alterna, sessilia, ovata, crenata, subcarinata.

Flores axillares, gemini, sessiles; altero praecotiori.

Calyx 3-4-5partitus: *laciniis* acutis, erectis.

Corolla calyce triplò longior, caerulea.

Capsula trilocularis, prope apicem poris tribus dehiscens.

Semina plura, minima, nigra.

Habitat in *Peruviae* collibus arenosis ad *Cercado*, *Cantae* et *Chancay* Provincias.

Floret Junio, et Julio.

Explic. Icon. 1 Capsula cum calyce. 2 Semina.

HIPPOTIS. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 33.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* auriculaeforme, acutum, integerrimum, superum, coloratum, persistens.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* curvatus, calyce longior. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* obovatis, obtusis, integerrimis, reflexis.

Nectarium breve, cyathiforme, quinquecrenatum, germen ambiens.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, curvata, basi villosa,

incrassata, infra medium tubi inserta, eoque breviora. *Antherae* ovatae, incumbentes, biloculares.

Pist. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, curvatus, longitudine tubi. *Stigma* oblongum; bifidum; *laciniis* adpressis.

Per. *Bacca* ovata, bilocularis, calyce coronata.

Sem. plurima, minima, cuneiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Bacca bilocularis, calyce auriculaeformi coronata. *Corolla* infundibuliformis, curvata. *Nectarium* germen ambiens. *Stigma* bifidum; *laciniis* adpressis.

HIPPOTIS triflora. Icon. CCI.

1. H. foliis obovato-oblongis acuminatis, pedunculis trifloris.

Frutex biorgyalis, hirsutus.

Caulis erectus, ramosus, articulationibus villis purpureis obvallatis, teres, cinereus.

Rami consimiles, supernè foliosi, ad articulationes incrassati.

Folia opposita, petiolata, obovato-oblonga, acuminata, integerrima, venosissima, patentia, bipalmaria et ultra.

Petioli breves, semiteretes, supernè leviter sulcati.

Stipulae duae, interfoliaceae, supraxillares, oppositae, ovatae, inter se convolutae, caducae.

Pedunculi axillares, filiformes, foliis dimidiò breviores, triflori, cernui, in fructu dependentes.

Flores breviter pedicellati: *Pedicelli laterales* bracteolâ subulatâ, deciduâ stipati.

Calyx purpureo-ruber.

Corolla laccae coloris, basi virescens. *Tubus* intus rubro-lutescens. *Nectarium* luteum, parvum, crassiusculum.

Bacca purpureo-rubra, hirsuta.

Semina fusci coloris.

Habitat in *Peruviae* nemoribus, versùs *Cuchero, Macora* et *Marimarchahua.*

Floret à Majo ad Augustum.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Nectarium. 7 Bacca calyce coronata. 8 Baccae dimidia pars inferior loculamenta cum seminibus ostendens. 9 Semina.

PSYCHOTRIA. Linn. *Gen. pl. pag.* 125.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* minimum, quinquedentatum: *denticulis* acutis; superum, persistens.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* calyce longior. *Faux* dilatata. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus, apice reflexis.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, brevia, infra faucem inserta. *Antherae* incumbentes, lineares, basi bifidae, biloculares, corollâ breviores.

Pist. *Germen* subrotundum, umbilico prominenti. *Stylus* filiformis, staminum longitudine. *Stigma* bilobum: *lobis* oblongis, crassiusculis, obtusis.

Per. *Bacca* ovalis, coronata, unilocularis, disperma.

Sem. ovata, ossea, hinc convexa sulcata, inde plana laevia.

Obs. Corollae Tubus in nonnullis Speciebus basi apiceque dilatatus; *Stamina* in plerisque inclusa. *Bacca* in aliis ovata, in aliis globosa.

Habitus.

Frutices erecti, aut *Herbae* repentes. *Caules* teretes. *Rami* brachiati; *teneri* obtusè tetragoni. *Folia* opposita, integerrima, valde venosa. *Stipulae* interfoliaceae, supraxillares, oppositae, interius glanduliferae, aut ciliatae, plerumque persistentes. *Flores* terminales, racemosi aut paniculati, cymosi aut conferti. *Pedunculi* et *Pedicelli* ferè tetragoni, saepè compressiusculi, bracteis acutis, integerrimis stipati.

Obs. ¿An sejungendae ab hoc Genere *Psychotria macropoda* et *gracilis* quae sunt herbae repentes, et calyce habituque à reliquis Speciebus fruticosis non parum dissimiles? Auptotae in plantis vivis dijudicare poterunt.

PSYCHOTRIA macrophylla. Icon. CCII. *Fig. a.*

1. P. foliis oblongo-lanceolatis amplis, stipulis unidentatis, racemis axillaribus subdichotomis.

Planta herbacea, biulnaris, glabra.

Caulis erectus, teres, ramosus.

Rami consimiles.

Folia opposita, petiolata, ferè pedalia, tenuia, oblongo-lanceolata, acuta, integerrima, venosa; *venis majoribus* inflexis, alternis; minoribus ramosis, capillaribus: *nervo venis*que *majoribus* utrinque sulcatis.

Petioli bipollicares, supernè leviter sulcati.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, parvae, semiamplexicaules, unidentatae, interius ad basim glandulis minimis, oblongiusculis, acutis.

Racemi axillares, longitudine petiolorum, multiflori.

Pedunculi terni, quaterni, striati, bracteis perfoliatis sustentati; *partiales* dichotomi.

Flores sessiles, parvi.

Calyx minimus, quinquedentatus.

Corolla alba, vix trilinearis.

Bacca parvi pisi magnitudine, ovalis, obscurè violacea.

Semina extus trisulcata.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus versus *Pillao* ad *Iscutunam* tractum.

Floret Octobri, et Novembri.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem scissa cum staminibus. 4 Stamen. 5 Pistillum cum calyce. 6 Bacca calyce coronata. 7 Semen latere convexo visum. 8 Idem latere plano conspectum.

PSYCHOTRIA reticulata. Icon. CCII. *Fig. b.*

2. P. foliis oblongo-lanceolatis venoso-reticulatis, stipulis bidentatis: dentibus subulatis, racemis terminalibus brachiatis.

Planta herbacea, biulnaris, pubescens.

Caulis erectus, teres, supernè obsoletè tetragonus, ramosus, glaber.
Rami brachiati, tetragoni, erecti.
Folia opposita, remota, ferè pedalia, subcoriacea, oblongo-lanceolata, acuta, integerrima, densè venosa, reticulata, subtus magis pubescentia, nervo prominenti; venis majoribus inflexis, purpurascentibus.
Petioli semipollicares, supra leviter sulcati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, adpressae, fulvescentes, truncatae, bidentatae: denticulis subulatis, petiolo longioribus, interius ad basim glandulis 7, subulatis, gradatim majoribus.
Racemi terminales, compositi, bipalmares, erecti.
Pedunculi *inferiores* brachiati: *superiores* sparsi: *communes* et *partiales* angulati, bracteolâ subulatâ ad eorum medium, vel ad basim insertâ.
Flores congesti, sessiles; bracteolâ minimâ, subulatâ stipati.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla parva, utplurimum trilinearis, lutea, extus pubescens. *Faux* villosa. *Limbi laciniae* reflexae, acutae.
Filamenta faucis basi inserta, brevissima. *Antherae* lineares, laciniis corollae dimidiò breviores.
Habitat in *Andium* nemoribus versùs *Pillao* per *Chacahuassi* runcationes.
Floret Octobri, et Novembri.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem scissa cum staminibus. 4 Stamen. 5 Pistillum cum calyce.

PSYCHOTRIA amethystina. Icon. CCIII. *Fig. b.*

3. P. foliis oblongis acuminatis, stipulis vaginantibus quadridentatis, racemis terminalibus, corollis baccisque amethystinis.
Frutex biorgyalis, in flore speciosus.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami brachiati, erecti, supernè foliosi: *teneri* tetragoni, villosiusculi, villis deciduis.
Folia opposita, petiolata, oblonga, acuminata, integerrima, patentia, subcoriacea, supra glabra, nitida, subtus nervo venisque villosa, venosissima: venis incurvis.
Petioli ferè pollicares, supernè sulcati.
Stipulae supraxillares, interfoliaceae, in vaginae formam connatae, ore interius margine brevi cinctae, bidentatae; dentibus subulatis, longis, erectis; ad basim singuli denticuli glandulae septem, subulatae, gradatim majores.
Racemi terminales, compositi, hirsuti.
Pedunculi et *Pedicelli* bracteolis subulatis stipati.
Flores breviter pedicellati.
Calyx quinquedentatus, parvus.
Corolla amethystini coloris, tubulosa, basi et fauce dilatata. *Tubus* intus ad coarctationem villosus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* apice reflexo, crasso.
Filamenta medio tubi inserta. *Antherae* lineares, inclusae.
Bacca ovalis, calyce coronata, amethystini coloris.
Semina hinc plana, inde convexa, quinquesulcata.

Habitat in *Andium* nemoribus ad *Pillao* et *Huassahuassi* runcationes.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus. 2 Stamen. 3 Pistillum cum calyce. 4 Bacca calyce coronata. 5 Semina extus et intus aspecta.

PSYCHOTRIA macrobotrys. Icon. CCIII. *Fig. a.*

4. P. foliis lanceolatis pubescentibus longis, stipulis bidentatis, racemis terminalibus longissimis.
Planta frutescens, biorgyalis.
Caulis erectus, teres, glaber, ramosus.
Rami consimiles, brachiati: *teneri* obsoletè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, subtus pubescentia.
Petioli semipollicares, supra vix sulcati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, semiamplexicaules, truncatae, adpresae, utrinque dentatae, interius ad basim denticulorum glandulis numerosis, subulatis.
Racemi terminales, pedales et ultra, erecti, purpurei, multiflori, pubescentes.
Pedunculi sparsi subdichotomique, bracteâ minimâ, subulatâ stipati.
Flores pedicellati.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Filamenta coarctationi tubi villosae inserta. *Antherae* lineares, inclusae.
Corolla lutea, tubulosa, parva, pubescens, basi dilatata. *Limbi laciniae* margine purpureae.
Bacca caeruleo-nigra, ovata, compressiuscula, umbilicata, calyce coronata.
Semina ovata, hinc convexa quinquesulcata, inde plana.
Habitat in *Andium* nemoribus imis ad *Cuchero* et *Chinchao* tractus.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus. 2 Stamen. 3 Pistillum cum calyce. 4 Bacca calyce coronata. 5 Semina utrinque conspecta.

PSYCHOTRIA thyrsiflora. Icon. CCIV. *Fig. b.*

5. P. foliis lanceolatis glabris, stipulis vaginantibus sexdentatis, thyrsis terminalibus.
Frutex biorgyalis, glaber.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami brachiati, teretes: *teneri* obtusè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, patentia, lanceolata, acuta, integerrima, carinata, venosa; venis alternis, inflexis.
Petioli semipollicares, supra leviter sulcati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, in vaginae formam, truncatae, sexdentatae, denticulis utrinque tribus; intermedio ovato, obtuso, ciliato; lateralibus subulatis.
Thyrsus terminalis, ferè bipalmaris, subracemosus, compositus.

Pedunculi brachiati subdichotomique, bracteolis minimis, subulatis stipati.
Calyx minimus, quinquedentatus, lutescens.
Corolla lutea, tubulosa, basi dilatata.
Filamenta coarctationi villosae tubi inserta. *Antherae* lineares, inclusae.
Bacca ovata, purpureo-nigra, umbilicata, calyce coronata.
Semina ovata, hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Andium* nemoribus ad *Cuchero* runcationes.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem scissa cum staminibus. 4 Pistillum cum calyce. 5 Bacca calyce coronata. 6 Semina.

PSYCHOTRIA obovata. Icon. CCIV. *Fig. a.*

6. P. foliis obovatis acuminatis amplis, stipulis emarginatis, thyrsis terminalibus, corollis tubulosis.
Planta suffruticosa, triulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami brachiati, obtusè tetragoni; *teneri* quadrisulcati.
Folia opposita, patentia, ferè pedalia, ampla, petiolata, obovata, acuminata, integerrima, venosa: nervo et venis subtus pubescentibus: venis majoribus incurvis, intermediis suboppositis; reliquis alternis; minoribus interstinctis.
Petioli pollicares, supra parum sulcati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, semiamplexicaules, basi in vaginae formam connatae, emarginatae; *laciniis* ovatis, obtusis, integris, intus glanduliferis.
Thyrsi terminales, magni, compositi, subracemosi, rubicundi, leviter pubescentes.
Pedunculi patentes: *inferiores* oppositi, *reliqui* sparsi: *communes partiales*que bracteis subulatis, reflexis stipati.
Flores breviter pedicellati.
Calyx minimus, quinquecrenatus, ciliatus.
Corolla tubulosa, basi dilatata, purpurea, ad coarctationem tubi intus villosa.
Filamenta infra faucem inserta. *Antherae* inclusae.
Bacca globosa, umbilicata, calyce coronata, purpurea.
Semina hemisphaerica, hinc sulcata, inde laevia.
Habitat in *Andium* nemoribus ad *Chinchao* et *Pillao*.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus. 2 Pistillum cum calyce.

PSYCHOTRIA sulphurea. Icon. CCV. *Fig. a.*

7. P. foliis obovato-cuneiformibus acuminatis, stipulis emarginatis, racemo paniculato, corollis infundibuliformibus.
Planta fruticosa, biorgyalis, glabra.
Caulis erectus, ramosus, teres, cinereus.
Rami brachiati, supernè foliosi, obtusè tetragoni.
Folia opposita, approximata, petiolata, obovato-cuneiformia, acuminata, patentia, lutescentia, subcoriacea, utplurimum bipalmaria, integerrima, venosissima; venis inflexis, alternis oppositisque.
Petioli breves, trilineares, supra canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, semiamplexicaules, ovatae, emarginatae, adpraessae, interius glanduliferae.
Racemi terminales, paniculati, sesquipalmares, erecti.
Pedunculi multiflori; *inferiores* oppositi; *superiores* sparsi; *communes partiales*que tetragoni, compressi, bracteis subulatis stipati.
Calyx minimus, quinquecrenatus.
Corolla infundibuliformis, sulphurei coloris. *Tubus* infra faucem villosus.
Filamenta ultra medium tubi inserta. *Antherae* lineares, corollae longitudine.
Bacca subrotunda, nigrescens, umbilicata, calyce coronata, piperis nigri magnitudine.
Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Andium* nemoribus frigidiusculis ad *Pillao* et *Iscutunam* tractus.
Floret Augusto, Septembri et Octobri.
Usus: Planta amarissima tincturam intensè luteam perpulchram praestat; ideoque Incolae ad gossypium lanasque inficiendas foliis ramulisque utuntur.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Bacca. 6 Semina utrinque visa. 7 Stipulae interius conspectae.

PSYCHOTRIA alba. Icon. CCV. *Fig. b.*

8. P. foliis lanceolatis, stipulis obovatis integerrimis striatis deciduis, racemo paniculato, corollis et baccis albis.
Planta fruticosa, biorgyalis, glabra.
Caulis erectus, teres, parum ramosus.
Rami patentes, obtusè tetragoni, in summitatibus foliosi.
Folia opposita, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, ad axillas venarum punctis excavatis.
Petioli ferè pollicares, supra plani.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, obovatae, crassiusculae, striatae, integerrimae, basi interiori hirsutae, deciduae, anulis hirsutis.
Racemi terminales, paniculati, compositi, bipalmares.
Pedunculi gemini, multiflori; *exteriores* breviores, reflexi; *interiores* brachiati.
Pedicelli dichotomi sparsique.
Bracteae ad basim pedunculorum et pedicellorum, ovatae, acutae, connatae.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla alba, infundibuliformis. *Tubus* calyce multò longior. *Faux* hirsuta. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* ovato-lanceolatis, apice reflexis.
Filamenta infra faucem inserta. *Antherae* lineares, longitudine corollae.
Bacca ovalis, candida, pisi magnitudine.
Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.

Habitat in *Andium* montibus nemorosis per *Pozuzo*, *Muña* et *Chinchao* tractus.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum.

PSYCHOTRIA capitata. Icon. CCVI. *Fig. a.*

9. P. foliis oblongis acuminatis, stipulis bifidis, floribus capitatis sessilibus bracteis obvallatis.
Planta fruticosa, triulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami teneri, foliosi, obtusè tetragoni, compressiusculi.
Folia opposita, petiolata, oblonga, acuminata, nonnulla sublanceolata, integerrima, venosissima, subtus pubescentia: *venis* alternis oppositisque, inflexis.
Petioli semipollicares, supra canaliculati.
Stipulae supraxillares, interfoliaceae, magnae, adpressae, connatae, bifidae: *laciniis* ovatis, integerrimis, obtusis, deciduis; interiùs ad basim glanduliferae, hirsutae.
Pedunculi terminales, brachiati, compressi, pollicares, bracteis semilanceolatis acutis, basi concavis, suffulti.
Pedicelli *communes* compressi, basi villis obvallati.
Flores in capitulum, bracteis ovatis, acutis, integerrimis circumdatum, congesti, sessiles.
Calyx quinquedentatus: *denticulis* ovatis, acutis.
Bacca ovalis, umbilicata, calyce coronata, atra.
Habitat in *Andium* montibus nemorosis per *Chinchao* runcationes.
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Germen cum calyce. 2 Bacca calyce coronata. 3 Semina utrinque visa.

PSYCHOTRIA cymosa. Icon. CCVI. *Fig. b.*

10. P. foliis oblongo-lanceolatis acutis, stipulis utrinque bidentatis, cymis terminalibus, calycibus quinquepartitis longis.
Planta suffruticosa, ulnaris, glabra.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami brachiati: *teneri* compressiusculi, obtusè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, utplurimum bipalmaria, oblongo-lanceolata, acuta, integerrima, supra nitida, venosa, venis alternis, rarissimis oppositis.
Petioli breves, leviter canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, semiamplexicaules, truncatae, brevissimae, utroque latere denticulo subulato, interius ad basim glanduloso.
Cymae terminales, breves, 20-30florae, violaceae.
Pedunculi compressi, striati, bracteolis subulatis stipati.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subulatis, longis, patulis.
Corolla violaceo-purpurea. *Tubus* prope basim villosus.
Bacca ovalis, coronata, violacea, umbilicata.
Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Andium* nemoribus, imis calidis, versùs *Pillao* ad *Chacahuassi* et *Pampamarca* tractus.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Germen cum calyce. 2 Bacca cum calyce. 3 Semina utrinque aspecta.

PSYCHOTRIA villosa. Icon. CCVII. *Fig. a.*

11. P. foliis oblongo-obovatis hirsutis, stipulis ovatis acutis deciduis, paniculâ racemosâ brachiatâ.
Planta fruticosa, biorgyalis, villosa: villis rubro-ferrugineis.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami brachiati, teretes, ad articulationes pilis rubris cincti: *juniores* obtusè tetragoni, sulcati.
Folia opposita, petiolata, oblongo-obovata, acuminata, integerrima, venosa, venis alternis inflexis.
Petioli trilineares, supra plani, leviter sulcati.
Stipulae oppositae, interfoliaceae, supraxillares, ovatae, acutae, caducae.
Panicula brachiata, subracemosa.
Pedicelli bracteis marginalibus, acuminatis, minimis suffulti.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Bacca rubra, globosa, depressiuscula, calyce coronata, umbilicata, piperis nigri magnitudine.
Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Andium* montibus nemorosis ad *Chinchao* et *Cuchero* runcationes.
Floret Majo, et Junio.
Explic. Icon. 1 Bacca calyce coronata. 2 Semina utrinque conspecta.

PSYCHOTRIA foveolata. Icon. CCVII. *Fig. b.*

12. P. foliis lanceolatis subtus ad apicem nervi foveolis quatuor, stipulis obovatis caducis, paniculâ in fructu cernuâ.
Planta fruticosa, triorgyalis, glabra.
Caulis erectus, ramosissimus, teres.
Rami patentes: *teneri* obtusè tetragoni, foliosi.
Folia opposita, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, venosa, venis incurvis, subtus versus apicem nervi foveolis quatuor oblongis ad ortum venarum.
Petioli semipollicares, supra sulcati.
Stipulae oppositae, supraxillares, interfoliaceae, obovatae, adpressae, integerrimae, caducae.
Panicula terminalis, subracemosa, in flore erecta, in fructu cernua.
Pedunculi brachiati, gemini, exteriores breviores, reflexi, bracteolis minimis, ovatis, connatis stipati.
Flores sessiles, terni, quaterni, quini, aut seni.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla parva, albo-lutea.
Bacca subrotunda, umbilicata, calyce coronata, rubicunda, piperis nigri magnitudine.

Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Andium* nemoribus ad *Chinchao* et *Cuchero* tractus.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Bacca calyce coronata. 2 Semina utrinque visa.

PSYCHOTRIA mitis. Icon. CCVIII. *Fig. b.*

13. P. foliis lanceolatis supra mitibus subtus glabris, stipulis anularibus emarginatis, racemis subpaniculatis terminalibus.
Planta fruticosa, biorgyalis.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami erecti, teretes; *teneri* obtusè tetragoni, sulcati.
Folia opposita, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, subtus glabra, supra mitissima, venosa; *venis* alternis oppositisque, incurvis, approximatis; *minoribus* interstinctis.
Petioli bilineares, supra canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, adpressae, anulares, basi connatae, emarginatae, petiolis duplò breviores.
Racemi terminales, sesquipalmares, ferè paniculati, multiflori.
Pedunculi brachiati, tetragoni, sulcati, compressiusculi: *communes partiales*que bracteis subulatis suffulti.
Flores sessiles, bracteolis stipati.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla infundibuliformis, lutea, fauce hirsuta.
Filamenta infra faucem inserta, brevissima. *Antherae* lineares, corollâ breviores.
Germen umbilicatum.
Habitat in *Andium* nemoribus versùs *Pillao* ad *Chacahuassi* tractus.
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Stamen. 5 Pistillum.

PSYCHOTRIA pilosa. Icon. CCVIII. *Fig. a.*

14. P. foliis oblongo-obovatis acutis pilosis, stipulis semilanceolatis bifidis, floribus terminalibus cymosis.
Planta suffruticosa, bipedalis, pilosa.
Caulis vix ramosus, tetragonus, supernè sulcatus.
Rami consimiles.
Folia opposita, petiolata, oblongo-obovata, acuta, integerrima, subtus venosa; *venis* alternis incurvis.
Petioli ferè pollicares, supra parum sulcati.
Stipulae oppositae, interfoliaceae, supraxillares, erectae, longitudine petiolorum, semilanceolatae, ad medium bifidae; *laciniis* acutis, basi connatae.
Cymae terminales, breves, bracteis lanceolatis, acutis undique cinctae, caeruleae.
Pedunculi graciles, densè pilosi.
Calyces quinquedentati; denticulis acutis.
Bacca caerulea, calyce coronata, parvi pisi magnitudine.
Habitat in *Andium* nemoribus locis humidis in *Cuchero* circuitu.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Bacca calyce coronata. 2 Semina.

PSYCHOTRIA virgata. Icon. CCIX. *Fig. a.*

15. P. foliis oblongis acuminatis coriaceis venosissimis, stipulis bilobis profundè emarginatis, corymbis terminalibus.
Frutex triulnaris, glaber, valde amarus.
Caulis erectus, teres, cinereus, ramosissimus.
Rami virgati, erecti, albicantes: *teneri* foliosi, purpurascentes, obtusè quadrangulares.
Folia opposita, petiolata, approximata, oblonga lanceolataque, acuminata, integerrima, coriacea, venosissima, venis alternis oppositisque inflexis; minoribus reticulatis; nervo rubicundo; marginibus reflexis.
Petioli bilineares, supra sulcati.
Stipulae oppositae, supraxillares, interfoliaceae, longitudine petiolorum, semiamplexicaules, adpressae, bilobae; *lobis* obtusis, rotundatis; interius ad basim glandulosae.
Corymbi terminales, breves, multiflori.
Pedunculi brachiati: *communes partiales*que tetragoni, compressiusculi, striati, bracteis subulatis stipati.
Flores sessiles, congesti.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla infundibuliformis, sulphurei coloris. *Faux* hirsuta.
Stamina inclusa.
Bacca ovalis, obscurè caerulea, ciceris magnitudine, calyce coronata, umbilicata.
Semina hinc quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Andium* montibus altis nemorosis frigidis versùs *Pillao* et *Muña* ad *Sircai* et *Saria*.
Floret Augusto, et Septembri.
Usus: Folia exsiccata lutescentia colorem sulphureum speciosum, uti reliquae partes fruticis, praebent.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla scissa stamina ostendens. 3 Stamina. 4 Bacca. 5 Semina utrinque conspecta.

PSYCHOTRIA trifida. Icon. CCIX. *Fig. b.*

16. P. foliis lanceolatis acuminatis, stipulis bifidis acutis, pedunculis axillaribus terminalibusque trifidis trifloris.
Frutex quinqueulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosissimus, obscurè viridis.
Rami brachiati: *teneri* obtusè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, angusta, palmaria, lanceolata, acuminata, integerrima, supra nitida, subtus per nervum et venas pubescentia, venosa; venis inflexis.
Petioli semipollicares, supra canaliculati.
Stipulae oppositae, interfoliaceae, supraxillares, basi connatae, bifidae: laciniis acutis; interius ad basim glanduliferae.

Pedunculi terminales et ex axillis superioribus, trifidi, bracteolis subulatis stipati, compressi.
Pedicelli laterales triflori, intermedius sexflorus.
Flores sessiles, bracteolis minimis sustentati.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla infundibuliformis, parva, leviter pubescens, limbo erecto. *Faux* hirsuta.
Filamenta infra faucem inserta. *Antherae* lineares, corollâ breviores.
Bacca nigra, coronata, umbilicata, subrotundo-turbinata.
Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Peruviae Andium* montibus nemorosis inter *Acomayo* vicum et *Carpis* collem.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla scissa stamina ostendens. 3 Pistillum. 4 Bacca. 5 Semina utrinque conspecta.

PSYCHOTRIA subtomentosa. Icon. CCX. *Fig. a.*

17. P. foliis lanceolato-oblongis, stipulis bifidis acutis, pedunculis terminalibus trifidis, floribus capitatis caeruleis.
Planta fruticosa, pubescens, biulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosissimus, infernè glaber.
Rami obtusè tetragoni; *teneri* subtomentosi.
Folia opposita, petiolata, lanceolato-oblonga, acuta, integerrima, subtomentosa, subtus canescentia, venosa: venis inflexis.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, basi connatae, bifidae; laciniis acutis, interius glanduliferae.
Pedunculi terminales, trifidi; *partiales* bracteis subulatis sustentati.
Flores sessiles, congesti.
Calyx minimus, quinquedentatus, caeruleus.
Corolla infundibuliformis, caerulea, hirsuta.
Habitat in *Peruviae Andium* montibus nemorosis ad *Chinchao*, *Mesapata* et *Maychainio* runcationes.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos integer.

PSYCHOTRIA repanda.

18. P. foliis lanceolatis repandis, stipulis lanceolatis ciliatis, pedunculis paniculato-racemosis, floribus sessilibus.
Frutex biorgyalis, glaber.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami teretes, supernè foliosi, obsoletè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, lanceolata oblongo-lanceolataque, repanda, integerrima.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, basi connatae, lanceolatae, dorso marginibusque ciliatis, caducae.
Racemi terminales, compositi, bipalmares.
Pedunculi brachiati: *communes* et *partiales* compressi, bracteolis ovatis, acutis, parvis stipati.
Flores sessiles, parvi.
Calyx quinquedentatus, minimus.
Corolla minima, lutea. *Faux* villosa.
Bacca purpurea, piperis nigri magnitudine.
Semina hinc convexa sulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus per *Cuchero* et *Chinchao* runcationes.
Floret Junio, et Julio.

PSYCHOTRIA viridis. Icon. CCX. *Fig. b.*

19. P. foliis oblongis acuminatis dorso foveolatis, stipulis lanceolatis, racemis subpaniculatis, corollis viridibus.
Planta frutescens, biulnaris, glabra.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami teretes, supernè obsoletè tetragoni, compressiusculi.
Folia opposita, petiolata, oblonga, breviter acuminata, integerrima, venosa, venis ad basim foveolatis inflexis.
Petioli breves, canaliculati.
Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, connatae, lanceolatae, magnae, petiolis duplò longiores, caducae.
Racemi terminales, subpaniculati, sesquipalmares.
Pedunculi brachiati, tetragoni, compressiusculi.
Flores parvi, sessiles, congesti.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla parva, infundibuliformis, viridis. *Faux* hirsuta.
Filamenta infra faucem inserta. *Antherae* inclusae.
Bacca globosa, parvi pisi magnitudine.
Semina hinc convexa quinquesulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Peruviae Andium* montibus imis nemorosis per *Chinchao* et *Macora* tractus.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Corolla. 2 Eadem scissa stamina ostendens. 3 Stamen auctum. 4 Pistillum.

PSYCHOTRIA laxa. Icon. CCXII. *Fig. b.*

20. P. foliis oblongis acuminatis, stipulis bifidis, paniculis laxis, bracteis longis reflexis, corollis viridibus.
Planta fruticosa, glaberrima, triulnaris.
Caulis erectus, ramosus, teres.
Rami brachiati, tetragoni, sulcati, compressiusculi, nitidi.
Folia opposita, petiolata, tripalmaria, oblonga, acuminata, integerrima, exsucca, supra nitida, venosa: *venis majoribus* incurvis; *minoribus* interstinctis.
Petioli semipollicares, supra leviter canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, breves, bifidae: *laciniis* ovatis, obtusis.
Panicula longa, laxa, in flore erecta, in fructu dependens.
Pedunculi et *Pedicelli* brachiati, compressiusculi, striati, bracteis lanceolatis, longis, deflexis, viridibus stipati.
Calyx minimus, quinquedentatus.
Corolla luteo-virescens, infundibuliformis, tenuis.
Filamenta infra medium tubi inserta. *Antherae* lineares.
Bacca purpureo-virescens, ovata, subdidyma, calyce coronata, pisi magnitudine.

Semina hinc convexa sulcata, inde plana laevia.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *S. Antonii de Playa grande* vicum, unde Tafalla iconem et descriptionem nobiscum communicavit.

Floret Julio, et Augusto.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Bacca. 7 Semina utrinque visa.

PSYCHOTRIA punicea. Icon. CCXII. *Fig. a.*

21. P. foliis oblongo-lanceolatis, acutis, stipulis truncatis bidentatis, corymbis puniceis, corollis urceolatis.

Planta frutescens, orgyalis, glabra.

Caulis erectus, teres, ramosus.

Rami consimiles, rubicundi.

Folia opposita, petiolata, oblongo-lanceolata, acuta, undulata, integerrima, tripalmaria, utrinque nitida, venosa, venis incurvatis.

Petioli semipollicares, canaliculati.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, truncatae, utrinque bidentatae: *denticulis* subulatis, petiolo brevioribus, erectis.

Corymbi terminales, breves, multiflori, punicei.

Pedunculi compressiusculi, striati, bracteolis subulatis ad medium et ad eorum basim insertis.

Flores breviter pedicellati, congesti.

Calyx minimus, quinquecrenatus.

Corolla punicea, urceolata. *Limbus* brevis; *laciniis* ovatis, acutis.

Filamenta medio tubi inserta. *Antherae* lineares, inclusae.

Bacca subrotunda, coronata, utrinque sulcata, ferè didyma.

Semina hinc convexa sulcata, inde plana laevia.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Sancti Antonii de Playa grande* vicum, unde Tafalla iconem et descriptionem nobis missit.

Floret Julio, et Augusto.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla. 3 Eadem scissa stamina ostendens. 4 Pistillum. 5 Bacca.

PSYCHOTRIA hyacinthiflora. Icon. CCXIII. *Fig. a.*

22. P. foliis obovatis acuminatis amplis, stipulis bifidis, racemis compositis purpureis, floribus violaceis.

Planta fruticosa, biorgyalis, glabra.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami consimiles, supernè obtusè tetrangulares.

Folia opposita, petiolata, ampla, ferè bipalmaria, obovata, acuminata, integerrima, parum undulata, valde venosa: venis horizontalibus, subinflexis.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, bifidae: *laciniis* ovatis, obtusis.

Racemi terminales, magni, compositi.

Pedunculi patulo-reflexi: *inferiores* brachiati; *superiores* sparsi.

Bractea parva, ovata sub singulis pedunculis et pedicellis.

Calyx minimus, quinquedentatus, persistens, violacei coloris.

Corolla violacea, infundibuliformis, basi fauceque dilatata. *Limbus* quinquepartitus, reflexus.

Filamenta coarctationi tubi inserta. *Antherae* lineares, intra faucem inclusae, luteae.

Germen umbilicatum.

Stylus limbi ferè longitudine. *Stigma* bilobum: *lobis* patulo-reflexis.

Bacca violaceo-caerulea, subrotundo-ovata, calyce coronata.

Semina hinc convexa sulcata, inde plana laevia.

Habitat in *Andium* nemoribus imis calidis, ad *Chicoplaya* tractus, unde Tafalla iconem missit.

Floret Junio, Julio et Augusto.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta. 7 Semina utrinque visa.

PSYCHOTRIA caerulea. Icon. CCXIII. *Fig. b.*

23. P. foliis lanceolatis acutis, stipulis ovatis, racemis terminalibus, floribus aggregatis, baccis caeruleis.

Frutex biorgyalis, glaber.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami patentes, teretes, flexuosi, supernè obsoletè tetragoni.

Folia opposita, petiolata, patenti-deflexa, lanceolata, acuta, integerrima, undulata, venosa, 2-3palmaria.

Petioli breves, supra vix canaliculati.

Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, petiolis dimidiò breviores, ovatae, integerrimae.

Racemi terminales, bipalmares, compositi.

Pedunculi brachiati, bracteis ovatis sustentati.

Flores aggregati, sessiles, plures decidui.

Calyx minimus, quinquedentatus.

Corolla infundibuliformis, semipollicaris, lutescens. *Limbus* revolutus.

Filamenta infra medium tubi inserta, brevia. *Antherae* inclusae.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* bilobum, erectum.

Bacca turbinata, caerulea, parvi ciceris magnitudine.

Semina parva, hinc convexa sulcata, inde plana laevia.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus imis calidis, ad *Vitoc* vicum, unde Tafalla iconem nobiscum communicavit.

Floret Majo, Junio et Julio.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum cum calyce. 3 Corolla. 4 Eadem scissa, stamina ostendens. 5 Bacca. 6 Semina utrinque conspecta.

PSYCHOTRIA tinctoria. Icon. CCXI. *Fig. a.*

24. P. foliis oblongis acutè acuminatis, foveolis ad basim venarum, stipulis lanceolatis, racemis brevibus brachiatis.

Frutex triorgyalis, glaber.
Caulis erectus, teres, ramosissimus.
Rami teretes: *teneri* foliosi, obsoletè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, patentia, oblonga, acutè acuminata, parum undulata, integerrima, supra nitida, in axillis venarum foveolata.
Petioli semipollicares, canaliculati.
Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, basi connatae, semilanceolatae, integerrimae, ad basim intus glanduliferae.
Racemus terminalis, palmaris.
Pedunculi brachiati: *communes* et *partiales* obtusè tetragoni, bracteis parvis, ovatis, acutis stipati.
Flores sessiles, terni.
Calyx minimus, quinquedentatus, lutescens.
Corolla albo aut luteo-rubescens. *Faux* hirsuta. *Limbus* revolutus.
Filamenta basi hirsuta. *Antherae* inclusae.
Stylus longitudine corollae. *Stigma* bilobum.
Bacca subrotunda, umbilicata, rubicunda.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Macora* et *Mesapata* runcationes.
Floret Augusto, Septembri et Octobri.
Usus: Folia tincturam luteam perpulchram suppeditant. Incolae lintea, lanas et gossypium eo colore imbuunt.
Explic. Icon. 1 Corolla scissa stamina ostendens. 2 Pistillum.

PSYCHOTRIA macropoda. Icon. CCXI. *Fig. b.*

25. P. foliis cordatis acutis glabris, stipulis ovatis, umbellis tri-sexfloris, seminibus laevibus.
Planta herbacea, repens, glabra.
Caulis horizontalis, filiformis, angulatus, stolonifer.
Folia opposita, longè petiolata, erecta, cordata, acuta, integerrima, venosa, venis inferioribus ad basim coëuntibus.
Petioli foliis quadruplò longiores, asperiusculi, striati; *juniores* pubescentes.
Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, ovatae, integerrimae, deciduae.
Pedunculi longitudine foliorum, striati, 3-6flori.
Flores sessiles, capitato-umbellati, bracteis totidem lineari-lanceolatis, persistentibus involucrati.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subulatis, apice reflexis, persistentibus.
Corolla infundibuliformis. *Limbus* quinquefidus, patens.
Bacca ovalis, ciceris magnitudine, purpureo-atra, disperma.
Semina ovata, laevia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus secùs *Pillao* ad *Iscutunam* tractum.
Floret Septembri, et Octobri.
Obs. Psychotriae herbaceae Jacquini maxime affinis.
Explic. Icon. 1 Bacca. 2 Semina utrinque conspecta.

PSYCHOTRIA gracilis. Icon. CCXI. *Fig. c.*

26. P. foliis cordatis acutis supra pilosiusculis, stipulis ovatis, umbellis 6-9floris, seminibus sulcatis.
Planta herbacea, repens.
Radix fibrosa, tenuis.
Caulis horizontalis, stolonifer, filiformis, gracilis, striatus.
Folia opposita, erecta, petiolata, cordata, acuta, integerrima, supra pilosiuscula, venosa, venis inferioribus, basi coëuntibus.
Petioli foliis ferè duplò longiores, striati.
Stipulae interfoliaceae, oppositae, supraxillares, ovatae, acutae, integerrimae, patulae, membranaceae, ad basim glandulosae.
Pedunculi terminales, erecti, striati, petiolorum longitudine, 6-9flori.
Flores breviter pedicellati, umbellati, bracteis totidem inaequalibus, subulatis stipati.
Calyx quinquepartitus; *laciniis* lineari-lanceolatis, longis, reflexis.
Corolla dilutè violacea, infundibuliformis, intus glabra.
Filamenta infra faucem inserta. *Antherae* lineares, inclusae.
Bacca ovata, coronata, nigrescens, piperis nigri magnitudine, disperma.
Semina hinc convexa trisulcata, inde plana laevia.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Pillao* et *Pueblo nuevo* tractus.
Floret Augusto, et Septembri.
Obs. Psychotriae violaceae Aub. *Guian. vol. 1. p. 145. tab. 55.* valde affinis.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Bacca. 6 Semina utrinque visa.

COFFEA. Linn. *Gen. plant. pag.* 126.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* superum, minimum, crescens, quinquedentatum: *denticulis* deciduis.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* calyce multò longior, supernè parum dilatatus. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* lineari-lanceolatis, longis, lateraliter revolutis.
Stam. *Filamenta* quinque, subulata, infra faucem corollae inserta, patentia, basi villosa, limbi ferè longitudine. *Antherae* incumbentes, recurvatae, oblongae, basi bifidae, biloculares.
Pist. *Germen* subrotundum, umbilicatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo, oblonga, crassiuscula, patula.
Per. *Bacca* ovalis, umbilicata, unilocularis, 1-2perma, basi calycis plerumque coronata.
Sem. elliptico-hemisphaerica, hinc convexa laevia, rarius sulcata, inde plana, cornea, epidermide callosâ tecta.
Obs. 1. Genus *Psychotriae* valde affine.

Obs. 2. *Coffea ciliata* plures flores quadrifidos tetrandros profert. *Coffea acuminata* et *subsessilis* Baccam monospermam habent.

Habitus.

Frutices erecti. *Caules* teretes. *Rami* brachiati, plerumque dichotomi, articulationibus dilatati, compressiusculi, stipulis aut earum basibus vaginati. *Folia* opposita, integerrima. *Petioli* stipulis extus adnati. *Stipulae* interfoliaceae, oppositae, in vaginae formam connatae, deciduae. *Racemi* terminales axillaresque, compositi. *Pedunculi* brachiato-decussati, bracteis parvis suffulti. *Flores* capitato-umbellati, subsessiles aut sessiles. *Corollae* albae. *Baccae* rubrae.

COFFEA racemosa. Icon. CCXIV. *Fig. a.*

1. C. foliis oblongo-ovalibus acuminatis, stipulis bifidis, racemis axillaribus terminalibusque in flore nutantibus.

Frutex triorgyalis, glaber.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami patentes, plerumque dichotomi, compressi, geniculati.

Folia opposita, petiolata, bipalmaria, oblongo-ovalia, acuminata, integerrima, venosa: venis alternis, inflexis.

Petioli pollicares, semiteretes, stipulis extus adnati.

Stipulae oppositae, interfoliaceae, bifidae, acutae, caducae, ad ipsarum axillas setis pluribus crassiusculis, glandulaeformibus.

Racemi axillares terminalesque, brachiati, in flore nutantes, in fructu erecti.

Pedunculi tetragoni, compressiusculi, articulati.

Flores subsessiles, congesti, bracteis minimis, acutis, deciduis suffulti.

Calyx quinquedentatus, albo-virescens, in fructu deciduus.

Corolla alba, quinquefida: *laciniis* revolutis.

Filamenta basi hirsuta, corollae longitudine. *Antherae* luteae.

Bacca ovalis, monosperma dispermaque, cerasi magnitudine et colore, calycis vestigio notata.

Semina hemisphaerica, laevia.

Habitat in nemoribus *Pati* et *Macora.*

Floret Junio, Julio et Augusto.

Vulgo: *Caffé*, ex quo plantae cognitionem et usum Incolis impertiti sumus anno 1785, et ab eo tempore colitur in *Chinchao Quebrada* praediis.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Corolla scissa, stamina ostendens. 3 Pistillum. 4 Bacca. 5 Semina utrinque conspecta.

COFFEA acuminata. Icon. CCXIV. *Fig. b.*

2. C. foliis ovalibus acuminatis ad axillas venarum villosis, stipulis caducis, racemis paucifloris.

Frutex biorgyalis, glaber.

